IOANNIS ANDREAE SCHMIDII,

ABBATIS MARIAEVALLENSIS,
PRIMARIIQVE ACADEMIAE IVLIAE THEOLOGI,

DE

CONCILIIS MOGVNTINIS

DISSERTATIO.

IOANNIS ANDREAE
SCHMIDII.
ABBATIS MARIAEVALLENSIS.
PRIMARII PROFESSORIS ACADEMIAE OLIM VRATISLAVIENSIS.
DE
CONCILIS
MOGVNTINIS
DISSERTATIO.

VTi memorabilium aliorum, ita *Conciliorum* etiam *Moguntinensium* habuit rationem, dum *res Moguntiacas* in litteras misit, ediditque, non indiligens earum scriptor, *Nicolaus Serarius*. Peculiari enim capite, quod XXXIII libri I est, de iis egit.

Sed enim, si rem ipsam loqui licet, non ea, qua par erat, accuratione. In recensendis enim illis non mancus solum est, sed nimis etiam breuis; in posterioribus certe; quippe quae tantummodo attingere, uel potius praeterire uidetur.

Vnde statim in animum induxi, dum Scriptoribus *historiae Moguntinae* inseruientibus colligendis ac recognoscendis me dabam, *Conciliorum Moguntinorum Historiam*, quam Vir Cl. ac editis non paucis, iisque eruditis, ingenii monumentis nemini paullo humaniori ignotus, *Polycarpus Lyserus*, aliquot ante annis Helmstadii typis Hammianis ediderat*, istis inserere.

* Hoc quidem inscriptam titulo: ***Dissertatio, qua*** Historiam conciliorum Moguntinensium, ***& inprimis*** Concilii anno MCCCX habiti, ***praeside*** Ioanne Andrea Schmidio, ***Abbate Mariaeuallens., SS. Theologiae Doctore, eiusdemque & sacrarum Antiquitatum P. P. O. Ordinis sui Seniore, d. XXII Nouembris MDCCXIII publicae uentilationi sistit, edendisque*** Statutis prouincialibus Moguntinensibus anni MCCCX ***praemittit*** Polycarpus Lyserus.

Misit autem, dum illam an. MDCCXVIII hunc in finem mecum communicari peterem, Venerabilis maxime Vir, & Abbas Mariaeuallensis dignissimus, *Ioannes Andreas Schmidius*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, pro singulari sua bonas litteras in melius prouehendi προθυμίᾳ, praeter *Lyserianam* hanc, aliam adhuc, manu descriptam, eam uidelicet, quam non longe post tomo II *Introductionis Sagittarianae in Historiam Ecclesiasticam* cap. IV sectionis II p. 1188---1204 intexuit; breuiorem quidem illa, sed instituto meo con-

uenientiorem, adhaec lectu iucundam & cum illecebra quadam utilem*. Quam proin inter alios ad *rerum Moguntiacarum* notitiam facientes scriptores me daturum, lib. I cap. XXXIII, adnotatione postremis *Serarii* uerbis adiecta, pollicitus sum.

* Fassus est id haud obscure Reuerendissimus & Illustrissimus Episcopus Metellopolitanus, *Ioannes Ioachimus*, Eminentissimo Archiepiscopo Moguntino non ita pridem per Thuringiae partes in uicaria pontificii muneris procuratione suffragatus, Praesul ab eruditione non minus, quam humanitate (qua me etiam, dum in uiuis agebat, complecti dignatus est) merito commendandus. Sic enim in litteris Moguntia an. MDCCXXI d. XV ad me datis: *Catalogum* Conciliorum Moguntiae celebratorum *perlustraui*; *opido demiratus*, *nos tam hospites ac peregrinos hactenus esse in patria historia*, *ut ne uigesimam partem resciamus earum rerum*, *quae his conciliis continentur.*

Dum autem dictis fidem facturus, eam hic tibi sisto, primum, quae mihi praeter illa, quibus *Serarii* lacunas expleuit laudatus nobis Reuerendissimus *Schmidius*, occurrerunt, suo quodque loco, adieci. Adieci autem non modo, quae Moguntiae habita inueni, sed ea etiam, quae in aliis dioecesis Moguntinae locis ab S. Sedis Moguntinae Archiepiscopis celebrata deprehendi, *Schmidium* non minus hac re secutus, quam *Serarium*; quippe quorum uterque haud dubitauit, quae *Triburiae*, *Seligenstadii*, *Poeldae* cet. coacta fuere, Moguntinis adnumerare. In his tamen Fritislariense *Sifridi III* & *Gerhardi I*, quorum alibi, ut infra uidere licet, diserte mentio fit, praeterii; quod me fugiat, quo anno tam hoc, quam illud conuocatum fuerit, actumque. Praeterea hic illic adnotationes quasdam aspersi; quas, licet nec doctae sint, nec multi laboris, in rem tamen, saltim interdum, esse, fortassis ipse non prorsus diffiteberis.

Vt autem suum cuique tribui possit, eam adhibui rationem, ut synodos, quas ego quidem nunc demum erui, recensque attuli, tum stellula praefixa notarem, tum litteris Italicis, quas *currentes* uulgo uocari notum, exscribi curarem; adnotationes uero nonnunquam adiectas columna in duas tum partes semper diuisa.

Ceterum, uti facile largior, unum alterumue, cuius me fugit notitia, adhuc latere; ita in spem uenio, fore, ut e tenebris in lucem suo quoque tempore communem protrahantur, usumque publicum.

CON-



CONCILIVM I

ANno DCCCXIII, V Idus Iunii*, iussu *Caroli M.* conuocatum, primas in eo habente *Hildeboldo*, sacri palatii Archiepiscopo, praesentibus XXX Episcopis, & XXV Abbatibus, Moguntiae in basilica *S. Albani.*

* Errat igitur auctor *annalium Hildenesheimensium* tomo I *Scriptorum Brunsuicensium* Leibnitii p. 714 qui concilium hoc mense Maio celebratum dicit, ut *Lyserus* iam monuit § III dissertationis *de Conciliis Moguntinis* p. 4.

Scopum in hoc concilio sibi proposuit *Carolus*, ut tractaret de statu uero religionis, ac de utilitate & profectu Christianae plebis, teste epistola concilio praemissa.

Notabilis autem procedendi modus in hoc concilio fuit obseruatus, dum tres turmae fuerunt constitutae, quae & ecclesiae & reipublicae negotia respicere debebant.

Vide praefationem huius concilii.

In *prima turma* confederunt Episcopi, cum quibusdam Notariis, legentes atque tractantes sanctum Euangelium, nec non epistolas & actus Apostolorum, canones quoque ac diuersa sanctorum Patrum opuscula, pastoralemque librum *S. Gregorii*, cum ceteris sacris dogmatibus diligenti studio perquirentes, quibus modis statum ecclesiae Dei & Christianae plebis profectum sana doctrina & exemplis iustitiae inconuulsum, largiente gratia Dei, perficere & conseruare potuissent.

In *secunda turma* confederunt Abbates ac probati Monachi, regulam *S. Benedicti* legentes, atque tractantes diligenter, qualiter monachorum uitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent.

In *tertia turma* sederunt Comites & Iudices, in mundanis legibus decertantes, uulgi iustitias perquirentes, omniumque aduenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, iustitias terminantes.

In eo canones LVI conditi, & pro illius temporis statu *Caroli* Imperatoris iudicio subditi, de fide, spe, & charitate; solemni baptismi tempore; de Episcopis orphanorum patronis; uita communi Canonicorum, regulari monasteriorum disciplina; de illis, qui se inuitos ordini monastico ac canonico addictos querebantur, nihilominus in illo statu manere coactis, posthac autem non sine spontanea uoluntate recipiendis; de rogationibus & ieiuniis quatuor temporum; de festis diebus in ecclesiis Galliae & Germaniae celebribus; symbolo & oratione dominica discendis; de ebriosorum excommunicatione; de impedimentis matrimonii &c. *

* Le Cointe *annal. ecclesiast. Francorum ad h. a. p. 242 & seq.* Cabassutius *notit. Conciliorum sanctae ecclesiae p. 340 & seq.* Natalis Alexander *saec. IX p. 79 & seq.* Serarius *lib. I* Rerum Moguntiacarum *cap. XXXIII p. 128 (97 edit. nouiss.)*

Insertum est Collectionibus *Crabbei* edit. Colon. an. MDLI p. 630 & seq. *Surii* edit. Colon. an. MDLXVII tom. III p. 285 & seq. *Binii* edit. Colon. an. MDCVI tom. III p. 462 & seq. *Parisiensi* an. MDCXXXVI tom. VI p. 224 & seq. Conciliorum Galliae *Sirmondi* tom. II p. 273 & seq. *Regia* tom. XX p. 339, *Labbeo-Cossartiana* tom. VII p. 1239 & seqq. Extat praeterea impressum una cum alio Wormatiensi Basileae an. MDXXXII, 4. Quamuis enim ibi dicatur habitum illud anno DCCCXXXIII, V Id. Iun. facile tamen apparet, si modo id inspexeris, esse id ipsum, de quo agimus. *Lyserus* l. d. p. 6.

CONCILIVM II

Anno Domini DCCCXXIX ab Imperatore ***Ludouico Pio*** superiori anno indictum, & hoc anno Moguntiae habitum, praesentibus quatuor Metropolitanis *Autgario* siue *Otgario* Moguntino, *Hadeboldo* Colonienſi, *Hethi* siue *Hettone*, & *Bernuino* Vesontino, cum Suffraganeis suis.

Acta huius concilii non amplius supersunt. Si uero *epistolam encyclicam de conciliis Episcoporum habendis in quatuor ciuitatibus Galliarum, Moguntiaci* &c. * euoluimus, in ea uaria memorantur mala & calamitates, quibus regnum affligebatur, quae mouerunt Imperatorem ad conuocanda illa concilia, ut per ea status ecclesiae & reipublicae reformaretur, & ira diuina placaretur. Iuuabit etiam consuluisse concilium Parisiense eodem anno celebratum.

* *Quae praefixa est concilio Parisiensi an. DCCCXXIX, apud* Sirmondum *tom. II p. 475 & seqq.*

CONCILIVM III

Anno DCCCXLVII circa Kalend. Octobr. iussu *Ludouici* Regis Germaniae, praeside *Rabano* Archiepiscopo Moguntino, praesentibus Archiepiscopis, Episcopis, Chorepiscopis, Abbatibus, Monachis, & omnium Ordinum Clericis in clausto *S. Albani* habitum.

In eo conditi sunt XXXI Canones de disciplina ecclesiastica, quae non minus in regno *Ludouici*, quam in regno *Caroli* fratris labefactata erat.

Sigebertus Gemblacensis, *qui tamen in eo corrigendus uenit, quod concilium hoc ad annum DCCCXLVIII referat*; Concilior. *tom. VIII p. 39 & seqq.* Seratius *l. c. p. 128 & seq.* (97 *& seq. edit. nou.*) Natalis *saec. IX p. 94.*

Per duas turmas Episcoporum & Abbatum cum monachis res ecclesiae fuerunt tractatae. Mulier quaedam, nomine *Thiota*, pseudoprophetissa, quae multos seduxit, tandem fraudis conuicta, synodali iudicio publicis caesa flagellis *.

* *Praeter iam citatos uide* Auentinum (*lib. IV*) annalium Boicorum (*cap. XIII n. 23 & 24*) *p. m. 312* (373 *edit. nou.*)

Est insertum Collectionibus *Surii* tom. III p. 421 & seq. *Binii* edit. Colon. an. MDCVI tom. III p. 631 & seq. *Parisiensi* tom. VI p. 432 & seq. *Regia* tom. XXI p. 574--595, *Labbeo-Cossartiana* tom. VIII p. 39 & seq. *Lyserus* l. d. p. 8.

CONCILIVM IV

Anno DCCCXLVIII circa Kalend. Octobr. * iubente & praesente *Ludouico* Rege, praeside eodem *Rabano*, assessoribus Episcopis & Abbatibus celebratum.

* Testantibus, praeter alios multos, *annalibus Francorum Fuldensibus*, qui simul illud *generale* uocant *placitum*, uti *annales Hildeneshemenses* tomo dicto Scriptorum Brunsuicensium *Leibnitii* p. 715 *concilium synodale.*

In eo *Godeschalcus* Presbyter, tam bonos ad uitam, quam malos ad mortem perpetuam inuitabiliter a Deo praedestinatos esse affirmans, rationabiliter conuictus, damnatus, & ad *Hincmarum*, Episcopum Rhemensem, remissus est, dato sacramento, se in regnum *Ludouici* nunquam redituru m (*a*). Scripsit *Rabanus* epistolam (*b*) ad *Hincmarum* de hoc negotio, & ipse *Hincmarus* huius rei mentionem fecit (*c*). *Godeschalcum* uero a *Rabano* in synodo Moguntina minus iuste uel damnatum uel repulsum uoluit *Gilbertus Mauguin*, regius Consiliarius, & in suprema monetarum curia Praeses,

Praeſes, in *diſſertatione hiſtorica & chronica de Godeſchalco* (*d*); cui paucis reſpondit *Natalis Alexander* (*e*).

(*a*) Annales Hildesheimenſ. *l. d.* Trithem. *Chron. Hirſaug. p.* & *ſeq.*
(*b*) Sirmondus *l. c. tom. III p.* 64 & *ſeq.* Conciliorum *tom. cit. p.* 52 & *ſeq.* Serarius *l. c. p.* 130 & *ſeq.* (*edit. nouiſſ. p.* 98 & *ſeq.*) Natalis *ſaec. IX p.* 277 & *ſeq.* Pagi *tom. III p.* 607.
(*c*) de praedeſtinatione *cap. II & V.*
(*d*) *Quae habetur tomo II* Vindiciarum praedeſtinationis & gratiae, *cap. V & ſeq. p.* 65 & *ſeq.*
(*e*) *l. c. p.* 279.

CONCILIVM V

Anno DCCCLII ex mandato *Ludouici*, praeſide *Rabano*, & praeſentibus omnibus Epiſcopis & Abbatibus orientalis Franciae, Boiariae, & Saxoniae habitum; in quo illi de abſoluendis quaeſtionibus eccleſiaſticis inter ſe habuerunt tractatus *. Quid uero in eo decretum ſit, in annalibus non proditur: niſi quod *Pagi* † uelit, tunc Suffraganeos XII Sedi Moguntinae fuiſſe ſubiectos.

* *Vid.* Annales Francorum *ad h. a.* Conciliorum *tom. cit. p.* 77.
† *loc. cit. p.* 619.

CONCILIVM VI

Anno DCCCLVII circa Kalend. Octobr. praeſide *Carolo*, Archiepiſcopo Moguntino, *Pipini* Regis Aquitaniae filio, celebratum; in quo actum de iure eccleſiaſtico, & oblata *Guntharii* Archiepiſcopi Colonienſis ad *Alfridum* Epiſcopum epiſtola, de prodigiis, quae Coloniae contigerant.

Lambertus Schafnaburgenſis *ad hunc annum*, Annales Francorum Fuldenſes *ad hunc annum*, Annales Hildeneshemenſes *ad h. a. l. c. p.* 716, Concilior. *tom. cit. p.* 250.

CONCILIVM VII

Anno DCCCLXXXVIII in autumno ſub *Arnulfo* Rege a *Luitberto* Archiepiſcopo Moguntino, cum *Williberto* & *Ratbodo*, Colonienſi & Treuirenſi Metropolitanis, ac ſuis Suffraganeis & Abbatibus plurimis habitum.

In eo, occaſione *Arnulfi*, noui Regis, & diſciplinae eccleſiaſticae propter incurſiones Normannorum reformandae, multa ſunt acta, & canones XXVI editi (*a*). Ibidem etiam Corbeienſium controuerſia cum *Biſone* Epiſcopo Paderbornenſi in fauorem illorum ab Epiſcopis fuit deciſa. Sententiam concilii pro Corbeia noua exhibuit *Nicolaus Schaten* (*b*), & *Chriſtianus Franciſcus Paullini* decretum ſynodi uariis diſcurſibus, Caeſarum Pontificumque litteris, aliisque antiquitatibus illuſtratum dedit (*c*).

(*a*) Concilior. *tom. IX p.* 401 & *ſeq.* Natalis *l. d. p.* 106.
(*b*) Annal. Paderbornenſ. *parte I lib. III p.* 207 & *ſeq.*
(*c*) *in* Syntagmate rerum & antiquitatum Germanicar. *p.* 475 & *ſeq.*

Ipſum uero concilium non modo reperitur in citato tomo collectionis *Labbeo-Coſſartianae*, uerum etiam *Crabbei* tom. II. p. 777 & ſeq. *Surii* tom. III. p. 547 & ſeq. *Binii* edit. *Colon.* an. MDCVI tom. III. p. 1025 & ſeq. edit. *Pariſienſ.* an. MDCXXXVI. tom. VII parte I p. 135 & ſeq. *Regiae* tom. XXIV p. 572 590. *Lyſerus* l. d. §. XI p. 14.

CONCILIVM VIII

Anno DCCCXCV ante XIV Auguſti ſub *Arnulfo* Rege, praeſentibus XXII, uel, ut alii, XXVI Epiſcopis, apud *Triburiam*, uillam regiam, in dioeceſi Moguntina, & urbi Moguntinae uicinam, habitum.

Albertus Stadenſis *ad h. a.* Serarius *l. c. p.* 136 (101 ed. nou.) Natalis *l. c. p.* 107 & *ſeq.*

Errat itaque *Trithemius*, qui in *chronico Hirſaugienſi* edit. MDLIX, MDCI, & MDCXC celebratum hoc concilium dicit *an. DCCCXCVI, indictione XIV.*

In eo, ad corrigenda clericorum uitia, & ad eccleſiaſticae diſciplinae reſtaurationem canones LVIII editi; inter quos etiam eſt ille de diſciplina eccleſiae Germanicae circa ſepulturas; ex quo patet, mortuos in parochialibus eccleſiis ſepultos non fuiſſe, niſi cum in cathedralibus, aut canonicorum,

rum, monachorum, aut sanctimonialium ecclesiis sepeliri non poterant. In canone XXXII patronorum dissidio, circa Presbyterum constituendum, remedium adhibetur &c. In eo tamen non est actum de dissidio inter Colonienſem & Hamburgenſem Episcopos de Bremensi Episcopatu, ut ostendit *Pagi* (l. c. p. 763. & seq.)

Insertum est illud Collectionibus *Crabbei* tom. II p. 783 & seq. *Surii* tom. III p. 553 & seq. *Binii* ed. *Colon.* MDCVI tom. III. p. 1034 & seq. ed. *Paris.* tom. VI parte I. p. 145 & seq. *Regia* tom. XXIV p. 629 & seq. *Labbeo-Cossartiana* tom. IX p. 438 & seq.

CONCILIVM IX

Anno DCCCCLXIII ab Imperatore *Othone I* conuocatum, & cum omnibus Germaniae Episcopis & Abbatibus Moguntiae generale habitum, quod tribus fere mensibus a festo Paschatis durauit.

In eo multa ad reformationem status ecclesiastici atque monastici tractata sunt, quae scripta haberi ad uerbum scribit *Trithemius* *, coaeuis scriptoribus tacentibus.

* In *Chronico Hirsaugiensi* edition. *Sangallensis* an. MDCXC. p. 108. In *Basilensi* enim & *Francofurtensi* id praeterit. *Lyserus* l. d. § XIII p. 16.

CONCILIVM X

Anno MXXII, V Idus Augusti, praeside *Aribone*, Archiepiscopo Moguntino, cum quinque Coepiscopis *Salegunstadii* ad Moenum, in dioecesi Moguntina coactum.

Quo anno concilium hoc celebratum sit, non una omnium consensio est. *Auctor* id an. MXXII habitum uult. Idem sentit *Pagi* Critic. Baron. ad h. a. n. V p. 121, ac id in praefatione synodi huius ipsa legi scribit. Sentit etiam *Lyserus* l. d. § XV p. 18, & eos, qui id anno MXXIII celebratum fuisse statuunt, erroris arguit. *Serarius* contra id anno MXXIII habitum dicit lib. I *rerum Moguntiacarum* cap. XXXIII p. 101 seq. & lib. V in uita *Aribonis* § V p. 465 uult, illud coactum fuisse post istud, quod Moguntiae eo celebratum fuit tempore, quo Spiritus sancti effusi recolebatur memoria. Nititur autem, ut patet, itidem uerbis, quae in praefatione illius habentur; quibus tamen uitium inesse, *Pagi*, ut ibidem adnotaui, censet.

Si, quid mihi uideatur, dicere licet, maneo in ea, qua in adnotat. ad *Serarium* ll. dd. sententia fui, cum & indictio & annus regni *Henrici* XXI anno MXXII curate respondeant; licet haud ignarus sim, auctorem uitae *Meinwerci* Episcopi § LXXV id in annum XXIII reiicere, atque innuere, Moguntino, quod hic sequitur, posterius fuisse.

In eo *Aribo* consensu reliquorum multimodam diuinorum officiorum atque synodalium legum dissensionem composuit. Canones XX sunt conditi: quorum XIX inserti sunt uitae *S. Meinwerci* *; XX uero cum appendice apud Conciliorum collectores †.

* *Apud* Leibnitium *tom. I* Scriptor. Brunsuicens. *p. 551 & seq.*

† Quo uide collect. *Crabbei* tom. II p. 799 & seq. *Surii* tom. III p. 572 & seq. *Binii* edit. *Colon.* MDCVI tom. III p. 1084 & seq. edit. *Parisiens.* tom. VII parte I p. 214 & seq. *Regiam* tom. XXV p. 287 & seq. *Labbeo-Cossartian.* tom. IX p. 854 & seq.

Conf. Serarius *l. c. p.* 138 *& seq.* (p. 101 & seq. edit. nouiss.) Natalis *saec. XI p.* 466, Pagi *tom. IV p.* 121.

Baronius scribit *, positum esse hoc concilium a *Burchardo* Wormatiensi loco appendicis ad suos decretales libros.

* *Tom. XI Antuerp. an. MDCXLII p.* 72.

CONCILIVM XI

Generale anno MXXIII, praeside eodem *Aribone*, habitum; in quo ille Episcoporum consilio multa, quae deuiauerant, correxit; praecipue *Othonem* Comitem *de* Hamerstein & *Irmingardam* illicite commanentes separare disposuit; quod tamen ob certas rationes perficere non potuit, ut id habetur in uita *S. Meinwerci* Episcopi Paderbornensis *.

* *Apud* Leibnitium *tom. citat. p.* 551. *Conf. collect. Conciliorum* Labbeo-Cossartian. *tom. IX p.* 854, Rupertum *in uita* S. Gothardi *cap. XXII* (*Wolfherum* cap. IV tom. I *Leibnit.* p. 491.)

CON-

CONCILIVM * XII

Seligenſtadii habitum anno MXXVI. Fidem facit Wolfherus *in* uita S. Godehardi *Epiſcopi Hildesheimenſis cap. IV p.* 493 *his uerbis*: Eo tempore praedictus *Aribo* Archiepiſcopus in natali *S. Matthaei* Apoſtoli *Selingenſtadt* concilium generale Epiſcoporum duodecim conciuit: in quo Praeſulem noſtrum ſuper praedicto Gandensheimenſi territorio publice conuenit. Quam tamen ſynodum unanimitas fratrum in futurum annum comperendinauit. *Cum autem annum, quo habitum fuit, non ita explicate ſignet, notes, quod* Annaliſta Saxo, *qui ipſum preſſe hic ſequitur, ac ad uerbum exſcribit, id anno MXXVI celebratum eſſe dicat. Sic enim ad h. a. col.* 458; Eodem anno *Aribo* Moguntinus Archiepiſcopus in natali *S. Matthaei* Apoſtoli *Selingunſtad* concilium generale duodecim Epiſcoporum conciuit cet.

Quid Serarium *mouerit, ut id lib. I. cap. XXXIII ſilentio praetermitteret, cum tamen lib. V ſequenti in uita* Aribonis § *VIII p.* 466 *habeat, dicere nequeo.*

CONCILIVM * XIII

Cum auctor in ſequentibus, conciliis, quae Aribo *Archiepiſcopus* Geizlicae & Poeldae *habuit, in* Moguntinis *locum det, neſcio, cur hoc praeterierit, quod idem tam ſollemni caerimoniarum magnificentia* Francofurti, *in ſuburbano Moguntino, celebrauit; cuius tamen, ut* Annaliſtam Hildesheimenſem *ad h. a. p.* 725 & Chronographum Hildesheimenſem § *XIV p.* 744, *taceam*, Wolfherus *in* uita S. Godehardi *cap. IV. p.* 493 *tam explicate his meminit uerbis*: Eo item anno *Aribo* Moguntinus *Franconouordi* concilium ſynodi coadunauit, praeſidente Imperatore, cum Epiſcopis XXIII; in quo iterum beatum uirum *Godehardum* de ſaepius praeuentilata cauſſa, more ſuo, inquietauit. Ibi Praeſul noſter tandem, ſumma ueritate, quae Deus eſt, miſerante pariter & adiuuante, Epiſcopatus ſui proprietatem, ſuper totum Gandesheimenſe territorium, teſtimonio ſeptem Epiſcoporum, qui praedictam pactionem in Gandesheim & audierant & uiderant, canonice retinuit; ſcilicet *Brunone* Auguſtenſi concionante, *Wernero* Argentinenſi decernente, ipſo uero Metropolitano, uere inuito, uerbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Epiſcopi, qui Seniori noſtro ſuum teſtimonium, ſicuti audierant & uiderant, praebuerunt: id eſt, *Bruno* Auguſtenſis, *Eberhardus* Bauebergenſis, *Meinwercus* Paderbronnenſis, *Meginhardus* Wirceburgenſis, *Sigebertus* Mindenenſis, *Hildiwardus* Citizenſis, *Bruno* Mersburgenſis. Pulchra enim erat ibi & rationabiliter ordinata tam regalis, quam & epiſcopalis conſeſſio. Nam *in orientali parte* ante altare Archiepiſcopus *Aribo* cum ſuis Suffraganeis, *Wernero* Argentinenſe, *Brunone* Auguſtenſe, *Meginwerco* Patherbronnenſe, *Euerhardo* Bauebergenſe, *Meginhardo* Wirciburgenſe, *Godehardo* Hildenesheimenſe, *Branthoo* Haluerſtadenſe, *Wiggero* Verdenſe, *Hazecone* Wormatienſe conſedit. In *occidentali* uero *parte* Imperator conſedit, & a dextris eius *Piligrimus* Coloniae Archiepiſcopus, cum ſibi ſubditis, *Sigiberto* Mindenſe, *Sigifrido* Mimigardenſe, *Bennone* Traiectenſe; a ſiniſtris *Humfridus* Parthenopolitanus Archiepiſcopus, cum ſuis, *Hildiwardo* Citizenſe, *Brunone* Mersburgenſe, *Luizone* Hauesbergenſe, *Thiederico* Miſnenſe. In *auſtrali* autem *plaga*, Epiſcopi *Rambrechtus* Wirdunenſis, *Rodolfus* Sleſuicenſis, *Hiltolfus* Mantuanus, *Reginoldus* Aldenbergenſis, aſſederunt. In *aquilonari* etiam Abbates, *Richardus* Fuldenſis, *Reginboldus* Loresheimenſis, *Arnolfus* Heruelденſis, *Gerbertus* Moguntinus, cum aliis etiam eiusdem Ordinis ſex, adfuerunt.

Habitum autem fuit anno MXXVII, ut diſerte habent citati ſupra ſcriptores Hildesheimenſes, Annaliſta & Chronographus, *ll. dd.*

CONCILIVM XIV

Anno MXXVIII, praeſide *Aribone* Archiepiſcopo Moguntino *Geizlicae* coactum: de quo uide ſupra *Geizletenſe**.

* Sic autem ibi auctor doctiſſimus; *Anno MXXVIII* Aribo, *Archiepiſcopus Moguntinus, in* Geizlete *cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis habuit* (hoc concilium) *In eo, inter cetera eccleſiaſtica, quidam homo ingenuus, de homicidio* Sigefridi *Comitis accuſatus, candente ferro ſe purgauit; qui, ex decreto ſynodali poſt duas noctes probatus, illaeſus apparuit* (uid. auctor uitae *Meinwerci* p. 558) *Meminit & huius concilii* Wolfherus *in uita* Godehardi *Epiſcopi Hildeſienſis* (apud *Leibnitium* tom. I p. 493) *contra quem Moguntinus quaedam molitus. Conf.* Collect. Labbeo-Coſſart. *tom. IX p.* 860.

CONCILIVM XV

Anno MXXIX ab eodem praeſide *Palithi* conuocatum, in cauſſa ipſius (*Aribonis* ſcilicet) & *Godehardi*: de quo infra in *Palithenſi**.

* Sic autem ibi uenerabilis auctor noſter: *Anno MXXIX ab* Aribone, *Archiepiſcopo Moguntino,* Palithi *habitum; in quo* Aribo *ueterem querelam contra* Godehardum *Epiſcopum, praeſente Rege* Conrado, *incepit; ſed poſt multa & uaria diſceptationum colloquia, uix tandem commonitus ab Epiſcopis deſtitit. Conf.* Chronographus Saxo *ad hunc annum, & Collect. conciliorum* Labbeo-Coſſartiana *tom. IX p.* 861.

CONCILIVM XVI

Anno MXLIX * praeſidibus *Henrico III* Imperatore & *Leone IX* Pontifice, antea *Brunone* Leucorum Epiſcopo, praeſentibus *Bardone* Archiepiſcopo Moguntino & XLII Epiſcopis Moguntiae celebratum.

* *In anno uariant ſcriptores. uid.* Diſſertatio Lyſeriana *p.* 21 *& ſeq.*

Dum in anno, quo habitum fuerit hoc concilium, ſcriptores uariare dicit auctor, & ad *Diſſertationem Lyſerianam* ſe refert, operae pretium erit, quae ibi habentur, huc afferre. Sic autem § XVIII p. 21 & ſeq. doctiſſimus *Lyſerus*: *Anno MXLIX ſynodus habita eſt Moguntiae. Indicant meum hunc annum* Conradus *a* Lichtenavv, *Abbas Vrſpergenſis, in chronico*, Sigebertus Gemblacenſis *in chronographia*, Alberici *chronicon*, chronica Auguſtenſis, chronicon Stederburgenſe, Georg. Heilmannus *de rebus Moguntinis MS. citante* Serario *de rebus Moguntinis* p. 736, chronicon eccleſiae Halberſtadenſis *tom. II ſcriptor. rerum Brunſuicenſ.* Leibnitii *p.* 124, chronicon magnum Belgicum *tom. III rerum Germanicar.* Io. Piſtorii *p.* 108, *aliique. Sunt quidem, qui illud concilium in annum ML referunt, ut* Compilatio chronologica rerum Germanicar. *tom. I* Io. Piſtorii, Trithemius *in* chronico Hirſaugienſi, chronicon *S. Aegidii* Brunſuicenſe *tom. III ſcriptor. rerum Brunſuicenſ.* Leibnitii *p.* 583, *&* Serarius *p.* 736 *ſeq. & p.* 140. *Sed horum contra ſcriptores, uel coaeuos, uel maiori fide dignos, autoritas ualere non poterit. Putat quidem* Serarius *p.* 736, *pro ſe facere* Lambertum Schafnaburgenſem, *quippe qui uerius in annum ML hanc ſynodum conijciat cum reditu* Leonis *Papae in Germaniam. Cum enim an. MXLIX Moguntiae ſit deſignatus Pontifex* Leo, *Romamque dein profectus, ibidemque rurſum electus & conſecratus, tam cito illuc, unde uenerat, redire non potuiſſe. Sed, ut taceam, autoritatem* Lamberti *contra tot aliorum autoritates adduci uix poſſe, fieri omnino potuit, ut in uno eodemque anno Romam uenerit, & in Germaniam redierit; immo reuera, teſte* Hermanno Contracto, *id factum eſt. Nam anno MXLIX tempore hiemali uel uernali* Bruno *Leucorum Epiſcopus ab Imperatore electus, Romamque miſſus ſummo honore ſuſcipitur, & in quadrageſima Papa CLIII ordinatus*, Leonis IX *nomen accepit. Qui in proxima Paſcha* Vdalricum, *Augienſis coenobii Prouiſorem, Romam uenientem, Abbatis benedictione conſecrauit, indictione II, VII Kalend. April. Idem Papa in hebdomada* poſt Albas *ſynodum cum Epiſcopis Italiae Romae celebrauit, Idem in hebdomada Pentecoſtes aliam ſynodum Papiae congregauit, indeque per montem Iouis in ciſalpinas partes deuenit. Autumnali tempore ſynodum magnam Remis cum Galliarum Epiſcopis habuit, indeque Moguntiacum ueniens aliam ſynodum celebrauit. Quin, cum fatente* Serario, *in eo concilio reconciliatus Imperatori fuerit* Godefridus, *& illud, ſecundum* Hermannum, *an. MXLIX factum, etiam eodem anno hoc concilium celebratum ſit, neceſſe eſt. Praeterea ipſum* Lambertum *quod attinet, crediderim, annos Chriſti non ab ipſo autore, ſed a quopiam alio in codicibus additos eſſe, & quod propterea nonnulla eorum, quae ad annum ML referuntur, ad praecedentem annum ſint retrahenda. Hinc, mea quidem ſententia, rectius agunt, qui ad annum MXLIX hoc concilium relegant, ut Collectiones* Binii *edit.* Colon. *an. MDCVI tom. III p.* 1122, *edit.* Pariſ. *an. MDCXXXVI tom. VII parte I p.* 262, Regia *tom. XXV p.* 555, *&* Labbeo-Coſſartiana *tom. IX p.* 1046, *nec non* Baronius *tom. XI edit. Antuerp. MDCXLII p.* 173 *& alii. Sunt & nonnulli, qui ad an. MLI hoc concilium ablegant, inter quos*

chronicon

chronicon Episcoporum Verdensium *tom. II scriptor. Brunsuicens.* Leibnitii *p.* 215, Abbas Stadensis, & Adamus Bremensis *lib. III cap. XXXI. Verum, cum priores duos sua ex* Adamo Bremensi *hausisse probabile est* (Abbas *sane* Stadensis *eadem plane cum* Adamo *affert uerba*) *ex* Adami Bremensis *editione Maderiana patet, esse codices, qui loco* MLI *legunt* MXLIX; *ut adeo potius illa sit eligenda lectio, quae cum aliis historicis fide dignis concordat, & ad an. MXLIX synodum nostram refert.*

In eo multa constituta sunt *, quae uitam & honestatem Clericorum concernunt: simonia & coniugia Sacerdotum damnata. *Sigebotho* Episcopus Spirensis, de simonia & aliis criminibus accusatus, sacra communione corporis & sanguinis Christi se purgauit. *Bardo* Archiepiscopus legatus Romanae ecclesiae declaratus †; & *Legenda S. Seruatii* Tungrensis, ut pie credenda, synodali decreto confirmata *.

* Adamus Bremensis *l. d.* Wibertus *in* uita Leonis IX *lib. II cap. V*, Trithemius *l. d. p.* 190, Lupus *de* Synodis *parte III p.* 486 *seq.*
† Trithemius *l. d.* * Pagi *tom. II p.* 82.

Quaedam etiam de personis ecclesiasticis alendis, quales esse debeant; & de ecclesiae ritibus sunt in ea synodo instituta. Vid. Chron. German. *lib. XIV p.* 115 *tom. II rer. Germanicar.* Ioan. Pistorii. *In hac synodo ieiunium banni institutum dicunt* Engelhusius, & chronicon Episcoporum Verdensium. *Docet quoque* Compilatio chronologica *apud* Ioan. Pistorium *rerum Germanicar. tom. I, seu* chronica S. Aegidii *tom. III scriptor. Brunsuicens.* Leibnitii *p.* 583, *constitutum esse in hoc concilio, ne ministri altaris uel monachi canes aut aues ad uenandum sequantur, & ne temporaria lucra sequantur. Addit* posterior scriptorum allegatorum, *constitutum esse quoque, ut nullus monachus, nisi legitima aetate & spontanea uoluntate, IV temporum ieiuniis, nisi ab Episcopis ieiunii ordinetur.* Ita *Lyser.* l. d. p. 23.

CONCILIVM XVII

Anno MLIV ab Imperatore *Henrico* conuocatum, in quo Episcopi ad mandatum Caesaris Romanum Pontificem, uirum idoneum, eligere debebant. Electus ergo est *Gebhardus* Episcopus Eistetensis, in successorem *Leonis*, Romam missus, atque ibi ordinatus *.

* Trithemius *l. c. p.* 195, Hermannus Contractus *ad h. a.* Concilior. *tom. citat. p.* 1077.

CONCILIVM XVIII

Anno MLXIX post festum *Michaelis*, praeside *Sigefrido*, Archiepiscopo Moguntino, cum Episcopis & Imperii Principibus celebratum. In eo uolebat *Henricus IV* Rex *Bertham* uxorem, quam ante biennium duxerat, repudiare, non obscure eidem fauente *Sigefrido* *. Sed per Pontificis legatum *Petrum Damianum* & Principes praesentes consilium *Henrici* irritum factum est.

* Lambertus Schafnaburgensis *ad h. a. licet contrarium uelit epistola* Sigfridi *ad* Alexandrum II. Concil. *tom. citat. p.* 1200, Pagi *tom. IV p.* 234.

CONCILIVM XIX

Anno MLXXI, XVIII Kalend. Septembr. praeside eodem *Sigefrido*, Pontificis legato, praesentibus Episcopis & Abbatibus, in monasterio *S. Martini* Moguntiae habitum. In eo, *Henrico* Rege praesente, caussa *Caroli* Constantiensis Episcopi designati, sed a Clericis eiusdem ecclesiae sacrilegii ac simoniae accusati, uentilata fuit. Ipse *Carolus* tandem conuictus & confusus resignauit Episcopatum *.

* Lambertus Schafnaburgensis *ad h. a.* Concil. *tom. cit. p.* 1204 *& seqq. ubi etiam epistola* Sigfridi *ad* Alexandrum II.

CONCILIVM XX

Anno MLXXV, mense Octobri, sub eodem *Sigfrido* celebratum. In quo *Curiensis* Episcopus mandata Pontificis Archiepiscopo obtulit, ut uniuersos dioeceseos suae clericos cogeret, aut in praesentiarum coniugibus renuntiare, aut in perpetuum sacro altaris ministerio se abdicare. Quod dum facere uellet, a Clericis & uerbis & uerberibus contusus, uix uita

salua e synodo euasit, & posthaec huius rei executionem Pontifici reliquit *.

* *Lambertus Schafnaburgensis* ad h. a. *Concil.* tom. X p. 345.

Notat *Lyserus*, dum de hoc concilio § XXII p. 26 agit, *Serarium* his uerbis: *Anno MLXXV congregatum ab eodem* Sifrido I *Moguntiae concilium, non ad coercendam clericorum nonnullorum scortationem, ut falso perhibet* Serarius *rerum Moguntiacarum p.* 140, *sed, ut ex* Lamberto Schafnaburgensi *notum, ad tollenda Clericorum coniugia.*

CONCILIVM XXI

Anno MLXXX in festo Pentecostes iussu *Henrici IV* cum XIX Episcopis habitum; in quo *Gregorius VII* Pontifex communi consensu, ob Imperatorem ab eo excommunicatum depositus, & *Wigbertus* siue *Guibertus* ipsi surrogatus fuit *.

* Conradus Vrspergensis *in* chronico *ad hunc annum*, Concilior. *tom. citat. p.* 388.

Nescio, an *Bertholdus Constantiensis* de hoc concilio loquatur, dum ad h. a. n. 2 p. 350 scribit: *Vnde aemulus eius* (Henricus) *congregata multitudine omnium schismaticorum siue excommunicatorum, apud Brixinam legitimum Papam abiurauit*, & Guibertum *Rauennatem quondam Episcopum, sed iam triennio a Papa* Gregorio *irrecuperabiliter depositum & anathematizatum, sibi non in Papam, sed haeresiarcham elegit; deinde, apud Maguntiam conuentu facto, eandem ipsam electionem, a quibuscunque potuit, confirmari fecit.* Quod si de eo loquitur, & non de sequenti, quod anno MLXXXV Moguntiae habitum fuit, errat; quandoquidem *Moguntinum*, de quo hic agitur, *Brixinense* illud praecessit. Testimonio nobis est, quod Patres Brixinae congregati ad hoc his se referant uerbis: *Nos auctore Deo congregati, legatis ac litteris freti XVIII Episcoporum die sancta Pentecostes Moguntiae congregatorum, contra eundem* cet.

CONCILIVM XXII

Anno MLXXXV, secunda hebdomada post Pascha, praesente Imperatore & Antipapae legatis, praeside *Wezelino* Archiepiscopo, cum Treuirensi & Colonien si, nec non aliis Episcopis & Presbyteris, celebratum.

In eo *Gregorii VII* depositio, & *Guiberti* ordinatio approbata: *Herimannus* Episcopus Metensis, *Gregorii VII* defensor acerrimus, aliique Episcopi Pontifici adhaerentes depositi, & *Hermannus* Germaniae Rex tanquam reus maiestatis damnatus *.

* *Vid. Apologia* Henrici IV *tomo I rerum Germanicarum* Freheri *p.* 197 *& seq.* Sigebertus *in* chron. *ad hunc annum*, Bertholdus *append. ad* Hermannum Contractum, Trithemius *l. c. p.* 263, Concilior. *tom. citatus p.* 409, & append. *p.* 1831, Pagi *l. d. p.* 291.

Huius synodi acta *Waltramus*, seu (ut alii uolunt) *Venericus* in libro *de unitate ecclesiae* prolixe descripsit *. *Natalis Alexander* saec. XI dissertat. II p. 714.

* His quidem lib. II cap. XX p. m. 287 uerbis: *Deinde indicta est synodus apud Moguntiam secunda hebdomada post Pascha, secundum constitutionem sedis Apostolicae*, Petrus *scilicet Episcopus Portuensis ecclesiae*, & *duo Cardinales Romanae ecclesiae. Aderat etiam omnium Episcoporum consensus siue de Italia, siue de Gallia, in quorum alternis cordibus uiuit spiritalis amor & gratia —— Praesidebant quoque huic synodo* Wezelinus *Moguntinae ecclesiae Archiepiscopus*, & Eilberdus *Treuirensis Archiepiscopus, atque* Sigeuinus *Colonien sis Archiepiscopus.* Liemarus *autem Bremensis Archiepiscopus, quia non poterat adesse, miserat illuc legatos suos sua uice, promittens, se ad omnia consensurum, quae pertineant ad fidem catholicam, & ad pacem atque unitatem ecclesiae. Reliqui uero Episcopi, qui illic tum fuerunt, hi sunt, quorum nomina subscripta*: Thiederichus *Viridunensis ecclesiae Episcopus*, Henrichus *Episcopus Leodiae*, Chunradus *Episcopus Traiectensis ecclesiae*, Vdalricus *Einstatensis ecclesiae Episcopus*, Meginuuardus *Frisingensis ecclesiae Episcopus*, Otho *Episcopus Ratisbonae*, Ruobbertus *Episcopus Babenbergensis ecclesiae*, Huozmannus *Spirensis ecclesiae Episcopus*, Otho *Constantiensis ecclesiae Episcopus*, Burcardus *Episcopus de Losanna*, Sigefridus *Episcopus ex Augusta*, Gebehardus *Episcopus Behemensis de Praga*, Vdo *Hildinisheimensis ecclesiae Episcopus*, Henrichus *Poderbrunnensis Episcopus*, Erph *Episcopus Monasterii*, Folcmar *Mindensis ecclesiae Episcopus*: Bibo *Tullensis ecclesiae Episcopus, quia per se ipsum adesse non potuit, per legatos suos, qui uice sua intererant huic synodo, consensit & subscripsit*: Burcardus *quoque Basiliensis ecclesiae Episcopus*, & Otho *Stratzburgensis ecclesiae Episcopus per legatos suos consenserunt & subscripserunt, qui propter hostes ecclesiis suis crudeliter nimis imminentes*

nentes domum dimissi sunt. Et multi simul Presbyteri atque Diaconi interfuerant hnic synodo congregatae in ciuitate Moguntia.

CONCILIVM XXIII

Anno MLXXXVI iussu *Henrici* Imperatoris, praesentibus IV Archiepiscopis & XII Episcopis, cum Abbatibus & ceteris fidelibus, Moguntiae habitum.

In eo *Wratislaus*, Dux Bohemorum, tam Bohemiae quam Poloniae praefectus est, & *Egilbertus* Archiepiscopus Treuirensis missus, eum Pragae in Regem ungere. Praeterea ibidem Episcopatus Morauiensis suppressus, & Pragensi Episcopatui coniunctus. Indicauit haec *Cosmas* Pragensis Decanus *. Fuit hoc concilium politico-ecclesiasticum.

* *In* Chronico Bohemiae (lib. II p. 41) Aeneas Siluius *hist. Bohem. cap. XXII*, Dubrauius *lib. IX* (p. 65) Pagi *l. c. p.* 295.

CONCILIVM XXIV

Anno MCV *, in natali Domini, praesentibus Pontificis legatis, Episcopo Albano cum Constantiensi, Episcopis & Optimatibus totius regni Germanici celebratum.

Lyserus l. d. §. XXV p. 30; Abbas Vrspergensis & Albertus Stadensis, *nec non* Otho Frisingensis *chron. lib. VII cap. XI ad an. MC- VI referunt conuentum hunc: Sed notum est, plurimos ex ueteribus historiographis a natali Domini annos suos ordiri.*

In eo legati Pontificis anathema in *Henricum* patrem aliquoties latum confirmant, & *Henricum* filium in patris locum electum Regem coronant, referentibus *Conrado Vrspergensi* * & *Othone Frisingensi* †.

* *ad hunc annum.* † Chron. *lib. VII cap. XI.*

Occurrit inter concilia in Collect. *Binii* edit. *Parisiens.* an. MDCXXXVI tom. VII parte I p. 534, & *Labbeo-Cossartiana* tom. X. p. 745, *Regia* itidem tom. XXVI p. 753. *Lyserus* l. d. § XXV p. 30.

CONCILIVM *XXV

Anno MCXXIV Moguntiae ab Adalberto I *habitum. Quod cum omnes alii, quod sciam, praetereant, nobis memorat* Gebhardus *Comes Hennebergensis*, Ruggeri *in Episcopatu Herbipolensi obtinendo aemulus; quippe qui in litteris, quas in codice epistolari* Vdalrici Babenbergensis *n. CCCXXXV reperire est, col.* 347 Iterum, *inquit*, Archiepiscopum adii ipsius consilio, concilio, quod in Moguntina ecclesia tunc temporis habuit, me una cum Eistetensi Electo praesentaui, petens misericordiam uel iustitiam, & omnem obedientiam me ei & Moguntinae ecclesiae semper exhibuisse, ipsius testimonio in synodo comprobaui. Omnium igitur suffragiis pro me pulsantibus, me de episcopali consecratione certum fecit, & diem consecrationis & locum mihi constituit; ad quem ueni, & nihil profeci.

Quod autem anno MCXXIV habitum sit, inde patet, quod Gebhardus *distincte narret, celebratum esse, postquam* Henricus V *praesente Cardinale Praenestino, Wormatiae comitia habuerit; ante uero, quam ferias ille Argentorati peregerit natalitias. Notum autem, quod anno MCXXIV* circa mediam quadragesimam *illa Wormatiae celebrarit; has uero eodem hoc anno in Alsatis Argentorati. Testantur id sane, praeter alios*, Annalista Saxo *&* Abbas Vrspergensis. Ille *quidem* illud *ad h. a. col.* 653, hic, *ad h. a. p.* 282; Hoc *uero* ille *col.* 655, hic, *p.* 283. *Nec obstat, quod postremum hoc ad annum MCXXV referant. Cum enim uterque annum, temporum illorum more, a luce Christi incunabulis sacra auspicetur, patet omnino*, Henricum *festam Christi seruatoris e uirgine nascentis memoriam, secundum calculum nobis hodie usitatum, anno MCXXIV Argentorati recoluisse.*

CONCILIVM XXVI

Anno MCXXXI praesente Rege *Lothario*, praeside *Matthaeo* Albanensi Cardinale legato, cum *Adalberto I* Archiepiscopo Moguntino, & aliis octo Episcopis ibidem habitum.

In eo *Bruno* Episcopus Argentoratensis, a Clero & populo accusatus, resignauit Episcopatum suum. In eo etiam *Innocentius II* uerus Pontifex agnitus est *.

* Dodechinus *ad h. a.* Trithemius *l. c. p.* 392 *& seqq.* Serarius *l. c. p.* 811 (p. 545 edit. nou.) Concil. tom. citat. *p.* 998.

CONCILIVM XXVII

Anno MCLIX, praeside *Arnoldo* Archiepiscopo Moguntino, cum Clericis suae dioeceseos ex more celebratum; in quo contra simoniam & alia Cleri uitia actum fuit. In hoc concilium dioecesanum ingressi sunt *Arnoldi* aduersarii armata manu; sed a comitibus & familiaribus Archiepiscopi turpiter repulsi *.

* Trithemius *l. c. p.* 440, Serarius l. c. *p.* 820 (p. 562 edit. nou.)

CONCILIVM XXVIII

Anno MCCXXV uel MCCXXVI * sub *Sigfrido III** Archiepiscopo Moguntino, praeside *Conrado* Portuensi, Pontificis legato, habitum.

* Sic quidem uenerabilis *Schmidius*; *Lyserus* quoque l. d. § XXVIII p. 32; qui tamen addit: *cum in* MS. *a* Serario *citato, de anno, quo concilium habitum nil exstet, quidni ad annum potius XXV erit referendum? Scilicet, qui initium est Archiepiscopatus* Sigfridi, *teste* Georgio Heilmanno *in* MS. rerum Moguntinarum *apud* Serarium *p.* 834, *&* Trithemio *in* chronico Hirsaugiensi *p.* 176 *edit. Francofurtensis.* Sedenim, cum *Sifridus II* ad annum usque MCCXXX prouixerit, ut lib. V *rerum Moguntiacarum* in uita eius adnotat. 1 — 9 ad § X *Serarii* p. 592 clarissime ostendi, patet, concilium hoc sub eo, non autem sub *Sifrido III* habitum esse.

Habitum autem fuit anno MCCXXV praecipite. Sic enim *Caesarius Heisterbacensis* in uita *D. Engelberti*, Archiepiscopi Colonienſis; *Infeudatus deinde a Rege* (*Henrico, Friderici II* Imp. filio an. MCCXXV) *electus Archiepiscopus* (*Henricus* scilicet Colonienſis, *Engelberti* nefarie trucidati successor) *cum corpore martyris* (dicti modo *Engelberti*) *Moguntiam descendit, ubi Dominus* Conradus *Episcopus & Legatus* " in aduentu Domini *concilium celebrauit* cet.

In quo fine dubio *Conradus*, auctoritate Pontificis munitus, bellum infidelibus inferendum denuntiauit, ut alibi quoque uel ipse uel per alios fecit *.

* Raynaldus *ad annum* 1225 *p.* 316.

Praeterea in *Fridericum* Comitem Isenburgium, nefariae aduersus *Engelbertum* machinationis caput, & facinoris scelesti auctorem, anathema dixit, idque luminibus in coetu ecclesiastico per omnes legationis suae prouincias, Moguntinam scilicet, Colonienſem, Treuerenſem, Bremenſem, & Magdeburgenſem, grauissima caerimonia extinguendis, diebus quibusque dominicis assidua renouari memoria praecepit. Osnabrugenſem adhaec & Monasterienſem Episcopos, *Friderici* fratres germanos, ibidem reos caedis appellatos, cum se rite purgare nequirent, ad causſam dicendam Pontificem adire iussit. *Caesarius* l. d.

*CONCILIVM * XXIX*

Moguntiae anno MCCXXXIII, III Id. Martii a Sigefrido III *coactum. Cuius cum pertenuis sit memoria, appendam uerba* Chronici Erfordienſis, *quod* Schannatus *collectione I* Vindemiae litterariae *n. VIII in lucem protulit, id p.* 93 *nobis memorantis*: Hoc anno (*MCCXXXIII*) III Idus Martii *Siffridus* Moguntinae Sedis Archiepiscopus Moguntiae concilium celebrauit Pontificatus sui anno III.

CONCILIVM XXX

Anno MCCXXXIII* a Rege *Henrico*, Episcopos & Principes conuocante

cante eum in finem habitum, ut cum illis de communi utilitate reipublicae consilia haberet.

* VIII Kalend. Aug. uid. *Chron. Erfordiense* modo dictum l. d.

Durante hoc conuentu uenit *F. Conradus* de *Marburg*, O. P. *Elisabethae* Thuringorum Landgrauiae Capellanus; qui uti plures alios, ita etiam *Comitem Seynensem* haereseos accusauit, & ad ignem postulauit. Re bene perspecta, a Rege & Principibus, iubetur *Conradus* ab inquisitione desistere, & ipse domum rediens, in itinere peremptus*.

* Albericus *in* Chron. *ad h. a. p.* 542, *auctor, qui* Schafnaburgensi *appendicem subiunxit, ad h. a.* Trithemius *l. c. p.* 557 *& seq.*

CONCILIVM XXXI

Anno MCCXXXV habitum referunt conciliorum collectores*, in quo haeretici quidam absoluti, & qui *Conradum Marpurgensem* interfecerant, ad Sedem Apostolicam, nulla inflicta poena, remissi.

* Concilior. tom. XI *parte II p.* 2345 *& seqq. cum duabus epistolis* Gregorii IX *de hac re*; Raynaldus *an.* MCCXXXIII *p.* 408.

*CONCILIVM * XXXII*

Habitum Moguntiae anno MCCXXXIX, VI Non. Iul. Quod ne nescieremus, facit Chronicon Erfordiense, *semel iterumque iam laudatum, ad h. a. p.* 99; Hoc anno VI Non. Iulii (*in*) ciuitate Moguntina celebratum est concilium, praesidente *Cunrado* Rege, ac eiusdem Sedis Archiepiscopo, cum IX ceteris Episcopis; in quo scilicet concilio Episcopus Eistatensis querelando miserabiles exhibuit litteras, in quibus continebatur, quoniam sui Ministeriales ac ciues Eistatenses, iam fere per annum in excommunicatione manentes, diabolica atque haeretica praesumptione ipsum Episcopum cum Clero sibi fauente crudeliter expellendo abiecissent, & laicas personas in Episcopum & Praepositum & Decanum elegissent, ac eiusdem matricis ecclesiae sacristiam infringendo spoliassent, & ipsorum errorem magnates & potentes quidam fouentes perniciose in malitia confortauerint, ac qualiter suos fautores, si decesserint, cum musicis instrumentis ad sepulturam conducendo, laetanter sepeliant.

*CONCILIVM * XXXIII*

Habitum fuit a Sifrido III *Moguntiae anno MCCXLIII, mense Iunio. Quod quidem litteris propagare, qui mihi innotuerit, curae fuit nemini. Memoratur autem in* libro episcopali ecclesiae Eichstadtensis mscro *his uerbis*: Anno uero Domini MCCXLIII, VII Kalend. Iulii, cum concilium in ecclesia Magunt. esset indictum, & cum p. m. *Syffridus* eiusdem ecclesiae Archiepiscopus tunc temporis, in die concilii, ad concilium cum Coepiscopis suis considere uellet, ut indictum concilium turbaretur, Domini Episcopi, *Hyldensheymensis*, & D. *Warburnensis*, & D. *Wormacensis*, ius Domini Episcopi *Eychstetensis* & suae ecclesiae, ut supernotatum est, quilibet eorum pro se & sua ecclesia, quod primus esse deberet, post *Maguntinum*, proponebant, & super hoc sibi fieri iustitiam postulabant. Dominus uero *Eystetensis* Episcopus, *Fridericus* nomine, dictus *de Parsperg*, & iuris peritus, cum audiret, dictos Episcopos ius ecclesiae suae & eis alienum impetere, & tanquam rem suam petere, ipse, ut homo prouidus & litteratus, pontificalibus indutus & uestitus, ius ecclesiae suae laudabiliter defendebat, & testes, quos ad probandam intentionem suam induxit, taliter iurati deposuerunt.

Duo Praepositi & unus Decanus, quorum quilibet se circa centum annos esse dicebat, sic dixerunt, & concordauerunt in omnibus supra notatis, adiicientes, quod quando *Maguntinus* uellet praesidere concilio, quod ab una parte monasterii sedes deberet esse, quae caperet nisi duas personas, *Maguntinum* & *Eystetensem* Episcopum; ex alia uero parte Domini Episcopi, cius-

pi, eiusdem Sedis Suffraganei, deberent sedere per ordinem; & si Dominus *Maguntinus* inciperet aegrotare, Dominus *Eychstetensis* dicto concilio deberet praesidere, & tractare ea, quae essent tractanda, & decidere, & concilium consummare. & quod tunc non de propriis, cum eandem ecclesiam * simul regeret, sed de bonis ecclesiae Maguntinae deberet procurari, & in reditu, donec ad uillam, quae uocatur *Pergeln*, quae attinet ecclesiae Eychstetensi, ibi de propriis deberet sustentari. Dixerunt etiam; quando Dominus *Eychstetensis* uocaretur uenire Maguntiam, siue esset in *coena Domini*, siue in aliis festiuitatibus, & Dominus *Maguntinus* qualicunque de causa non posset exequi officium suum, & Dominus *Eystetensis* ratione iuris sui & sue ecclesie, quod ex antiquo sibi in ecclesia Maguntina scitur esse concessum ad exercendum ibi diuinum officium, & in dioecesi, si necesse esset, ad ecclesias consecrandas uocaretur, quod Procuratores Domini *Maguntini* deberent occurrere Domino *Eystetensi* apud uillam, quae dicitur *Pergeln*, quae ad ecclesiam Eystetensem spectare dinoscitur, & cum in sero uixisset ibi de propriis, de mane Procuratores ecclesiae Maguntinae deberent ex tunc procurare de rebus ecclesiae Maguntinae Dominum *Eystetensem* cum XXXVI Equitatibus ibi, & ueniendo Maguntiam, & ibi commorando, & redeundo domum iterum, donec ad uillam *Pergeln*; ibi tunc primum de propriis deberet sustentari, dixerunt. & quando taliter uocatus Dominus *Eystetensis* ueniret Maguntiam, quod ex tunc a Canonicis maioris ecclesiae susciпi & recipi deberet processionaliter.

* sibi

Cum uero testes praenotati in hunc modum iurati depositi essent, & per omnia concordassent, Dominus *Eystetensis* sub forma iudicii iustitiam sibi & ecclesiae suae fieri petiuit, & instanter, praemissis tamen allegationibus suis & probationibus, hoc de iure fieri debere: Dominus uero *Maguntinus*, de consilio DD. Episcoporum & Capituli sui, intentionem Domini Episcopi *Eystetensis*, pro se & suo Capitulo, sufficienter esse probatam, interloquendo pronuntiauit, & talem praerogatiuam, super qua uertebatur quaestio, Domino *Eystetensi* Episcopo, suisque successoribus, prout rite probatum fuerat, sententionando adiudicauit.

Dominus uero *Eystetensis* de secunda hora concilii ad renouationem sui iuris cum Domino *Maguntino* in una sede, secundum quod testes deposuerunt, concilio laudabiliter praesedit, &, loco Domini *Maguntini*, ea, quae ibi tractabantur, in publico lucidissime diffiniuit, & die tertia, quia Dominus *Maguntinus* officium personaliter exequi non poterat, monasterium in maiori ecclesia Maguntina, omnibus, qui ibi erant, Episcopis sibi cooperantibus, & Rege *Conrado* praesente, glorioſissime dedicauit.

Testes omnium praecedentium sunt hii: D. Episcopus *Herbipolensis*, D. *Argentinensis*, D. *Babenbergensis*, D. *Spirensis*, D. *Barbrunnensis*, D. *Halberstadensis*, & alii quamplures Praelati, Clerici, & Layci. *Vlricus* de *Kazenstein*, Praepositus Herriedensis. *Conradus* Dominus *de* Castell. *Otho* de *Ponte*. *Hermannus* de *Thanhussen*, Canonici Eychstetenses. *Heinricus* Notarius, Canonicus Herriedensis, & Ministeriales ecclesiae, *Conradus* iunior Dapifer, *Cuno* de *Lapide*, & alii quamplures simili modo interfuerunt.

Acta sunt haec regnante Domino Papa *Innocentio IV*, & imperante *Friderico*, & filio suo Rege *Conrado* regnantibus, qui Imperator per eundem Papam *Innocentium* posthaec apud Lugdunum, iustitia exigente, est destitutus, anno Domini MCCXLIII, VII Kalend. Iul.

*CONCILIVM * XXXIV*

A Sifrido III *Fritislariae habitum anno MCCXLIV a. d. III Kalend. Iun. quod non minus ac illa, quae Selingestadii uel Aschaffenburgi coacta fuerunt, inter Moguntina locum habere debere arbitror.*

Prodit autem id nobis auctor Historiae de Landgrauiis Thuringiae *auctioris & emendatioris, quem e mscr.* Eccardus *primum edidit, ad h. a. col.* 428; Maguntinus in octaua Epiphaniae Domini omnes Clericos cum Religiosis ciuitatem Erffordensem exire compulit. Qui proxima dominica

Laetare

Laetare in Frimaria conuentum ſtatuens, *Fridericum* Imperatorem cum Erffordenſibus denuntiauit excommunicatos, ac poſt hoc tertio Kal. Iunii " in Fritzlaria concilium faciens, eadem confirmauit.

CONCILIVM XXXV

Ante annum MCCLX a *Gerhardo I* Archiepiſcopo Moguntino coactum: ad quod prouocauit *Wernherus*, & concilium Fritzlarienſe ſub *Sigfrido III* habitum, teſte *Serario**.

* *loc. cit. p.* 141 (p. 104 edit. nou.)

Mendi quid hic ſubeſſe, res loquitur ipſa. Vt autem hoc magis id pateat, afferam *Serarii*, quem uenerabilis auctor citat, de hoc concilio uerba. *Decimum ſextum* Gerhardus I *habuit Moguntiae, quod a* Wernero *citatur in litteris datis anno MCCLXX, in citato* mſcr. Carthuſiano. *Vbi & plura ex eodem concilio afferuntur: ſic*; Ex concilio Moguntino Domini *G. & in ed.* Statut. Mogunt. *lib. III cap. XXXIII. Affertur etiam* Gerardi *Fritzlarienſe ibid. lib. I cap. XIII, & ſaepiſſime Aſchaffenburgenſe. Sed* Gerardum II *id ſpectat.*

CONCILIVM XXXVI

Anno MCCLXI a *Wernhero* Archiepiſcopo Moguntino congregatum; in quo ad diuini cultus propagationem, Clerique reformationem plura ſunt conſtituta*. Huc ſpectant, quae habet Chronicon *S. Aegidii*†, celebratum eſſe concilium in Moguntia ab Archiepiſcopo *Wernhero*, iubente Papa *Alexandro* contra Tartaros & alia pericula, ut per uerbum crucis, manum armatam, & orationes fidelium inimicis eccleſiae reſiſteretur.

* Serarius *l. c.* † *Tom. III* rer. Brunſuicenſ. *p.* 591.

Sophiam quoque Brabantinam, illiusque filium *Henricum*, quod Sedis Moguntinae clientelas (quae *Henrico Raſpe*, Anticaeſare, mare nullo relicto fatis functo, eo, unde exierant, feudorum redierant lege) ſibi adſererent, grauibus anathematum religionibus tum inuolutos arbitror. Superant enim litterae, quarum rubrum ita habet: Wernheri & Comprouincialium Epiſcoporum, *concilio prouinciali Moguntino tunc conſidentium, qui pro eo, quod Domina* Sophia, *filia* B. Eliſabeth, *& eius filius* Henricus *noſtrae dioceſis terras, poſſeſſiones, uillas, iurisdictiones, per mortem* Henrici, *ſine herede iure feodorum capace, decedentis nacatas occuparunt, Thuringiam eccleſiaſtico ſuppoſuerunt interdicto, ipſam, ipſiusque natum, & ipſorum auxiliatores excommunicarunt.* Quas, licet iis haud adſcriptum ſit, quo ſcriptae ſint tempore, huc pertinere nullus dubito: cum notum ſit, quod *VVernherus* poſtea amice iiscum uixerit, ac anno MCCLXIII dictae *Sophiae* Landgrauiae, illiusque filio, poſtquam fidem ſuam ſacramenti religione profeſſi erant, certa iura, caſtra, aliaque ritu fiduciario conceſſerit. Conf. quae lib. V. *rerum Moguntiacarum* in uita *VVernheri* adnotat. ſ ad § IV *Serarii* p. 616 dixi.

CONCILIVM * XXXVII

Prouinciale, anno MCCXCII ab Archiepiſcopo Gerhardo II *Aſchaffenburgi habitum. Quod cum* Trithemius *tum in* chronico Spanheimenſi *ad h. a. p. m.* 294, *tum* Hirſaugienſi, *editionis prioris aeque p. m.* 201 *& ſeq. ac poſterioris ad h. a. memoret*, Lyſerus *tamen ac uenerabilis auctor noſter praeteriere; quin &* Serarius; *licet illius l. d. p.* 104, *dum de Concilio* Gerhardi I *agit, diſerte faciat mentionem.*

Sed enim operae pretium erit, audire Trithemium *ipſum. Sic autem ille in* Chronico Hirſaugienſi *edit. Sangallenſis ad h. a. p.* 57; Eodem anno *Gerhardus* Archiepiſcopus Moguntinus prouinciale concilium cum ſuffraganeis ſuis Epiſcopis celebrauit in eccleſia *SS. Petri & Alexandri* Pontificum in oppido *Aſchaffenburg* iuxta littus Mogani fluminis. In quo comparuerunt *Manegoldus* Epiſcopus Herbipolenſis, *Fridericus* Epiſcopus Spirenſis, *Simon* Epiſcopus Vormatienſis, Epiſcopus quoque Auguſtanus, Epiſcopus Eichſtattenſis, Epiſcopus Hildesheimenſis; reliqui uero Moguntinae prouinciae Epiſcopi, Conſtantienſis, Curienſis, Argentinenſis, Halberſtattenſis, Padelbronnenſis & Verdenſis, Oratores ſuos atque Vicarios, ut moris eſt, cum poteſtate mandata ſufficiente miſerunt. Comparuerunt & Abbates noſtri Ordinis in eodem concilio plures; quorum coenobiorum nomina conſcripta inuenimus ita: Abbas Herſfeldenſis, Abbas *S. Albani* prope Mo-

guntiam, Abbas *S. Iacobi* ibidem, Abbas in Selgenstatt, Abbas *S. Petri* de Erfurt, Abbas in Homburg, Abbas de fonte Reinhardi, Abbas de Salueld, Abbas de Blidenstatt, & alii plures, tam nostri Ordinis, quam aliorum, quorum nomina non tenemus. Multa in eo concilio statuta sunt, quae litteris commendata seruabantur.

CONCILIVM XXXVIII

Anno MCCCX Praeside *Petro* Archiepiscopo Moguntino, assessoribus eiusdem Suffraganeis, Moguntiae celebratum.

In eo condita sunt CLXVI Statuta, quae agunt de fide catholica, omni fere disciplina ecclesiastica, & Clericorum, monachorumque reformatione. Sunt illa partim propria huius concilii, partim ex aliis desumta, utpote ex *Aschaffenburgensi* sub *Gerhardo*, ex *Moguntino Sifridi* & *Fritslariensi* eiusdem, nec non *Moguntino Wernheri*, ut *Statutorum* index praemissus indicat.

Manuscripta horum Statutorum passim adhuc extant, ut in bibliotheca *Basileensi*, referente *Theophilo Spizelio* *, in *Augustea Guelferbytana* codex chartaceus, & in bibliotheca *academiae Iuliae*, quae *Helmstadii* floret, membranaceus. Sunt illa etiam typis exscripta saeculo XV in folio, cum concilio Moguntino anno MCCCLI habito, & in libro III *Statutorum Moguntinensium* †.

* *in* sacris bibliothecarum illustrium arcanis retectis *p.* 21.

† Serarius *l. c. p.* 142 (p. 105 edit. nou.) (Rectius p. 850, & p. 638 dictae modo edition. nou.)

Archiepiscopus Salisburgensis in Statutis alicuius concilii Salisburgensis eadem statuta, iisdem paene uerbis promulgauit, nisi quod ea, quae Moguntina in nostris dicuntur, Salisburgensia uocet.

Confirmata fuisse statuta illa Moguntina a *Ioanne* Pontifice Romano, refert *Paulus Langius* in *chronico Citizensi* ad an. MCCCXXIV.

Actum etiam fuisse in eodem concilio de caussa *Templariorum*, qui publice contra huc usque acta protestantes ad futurum Pontificem appellarunt, uult *Serarius* * cum aliis†.

* *loc. cit. p.* 850 (p. 638 edit. nou.) *add.* Mariana *lib. XV cap. X.*

† *De his omnibus concilii actis pluribus agitur in* Dissertatione *citata* Lyseriana *p.* 38 *& seqq.*

Ex qua ideo summas Statutorum illius huc afferre, e re erit. Sic autem l. d. § XLVIII p. 44 & seqq. *Lyserus*: *Ipsa Statuta constant capitulis CLXVI, scilicet secundum codicem mscr. membranaceum academiae Iuliae. Reliqui enim codices capitulis quidem distinguuntur, sed numeri iisdem non sunt appositi. Materiae in illis capitulis pertractatae, uariae sunt. Ordine illas breuibus exponam, ulteriorem explicationem futurae Statutorum ipsorum editioni reseruans.* Cap. I *explicat scopum huius concilii, ut scilicet praedecessorum statuta renouentur & colligantur, atque dein in unum uolumen collecta commodius habeantur, & accuratius obseruentur. Ex concilio Moguntinensi* Petri. Cap. II *agit de summa Trinitate, fideque Catholica. Ex eodem.* Cap. III *Vetat praedicare, quod Sacerdos in mortali peccato existens non possit administrare sacramentum altaris, uel soluere uel ligare. Ex concilio Aschaffenburgensi* Gerhardi. Cap. IV *de Statutorum horum obseruatione. Ex concilio Moguntinensi* Petri. Cap. V *de eorum publicatione tractat. Ex eodem.* Cap. VI *de rescriptis. Ex eodem.* Cap. VII *de mandato. Ex eodem.* Cap. VIII *de consuetudine illa antiqua in ecclesia Moguntinensi, qua caussas ad eam ecclesiam per appellationem delatas subditis Suffraganeorum committere ualet. Ex concilio* Sifridi. Cap. IX *de aliis consuetudinibus circa processus caussarum obseruandis agit. Ex concilio Moguntinensi* Petri. Cap. X, *ut malae consuetudines deleantur. Ex eodem.* Cap. XI, *ut in ordinatione clericorum inuestigetur, num ex eorum progenitoribus quis clericum captiuarit, occiderit, aut mutilarit: quo facto praesentatus non admittendus. Ex eodem.* Cap. XII, *ut nemo beneficium ecclesiasticum dimittat, uel recipiat, sine superioris auctoritate. Ex eodem.* Cap. XIII, *ut quilibet ordinandus recenter sua confiteatur delicta confessori alicui. Ex concilio Moguntino* Sifridi. Cap. XIV, *ut nullus admittatur ad ordinem sub titulo uicariae, a qua non possit amoueri. Ex eodem.* Cap. XV, *ut nullus inuestiatur ad parochialem ecclesiam infra uicesimum quintum annum. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. XVI *Ne illegitime natus ad ordines uel beneficium promoueatur. Ex eodem.* Cap. XVII *Ne Clerici peregrini ad ordines recipiantur. Ex eodem, aut, secundum impressum codicem, ex concilio* Sifridi. Cap. XVIII *Ne impu-*

Ne impedimentum fiat, ut non appelletur ad superiores. Ex concilio Moguntinensi Petri. Cap. XIX *Ne Archidiaconi de causſis cognoſcant, ſi ſummam XX ſolidorum excedunt. Ex eodem, uel, ſecundum* MS. Guelferbythanum, *ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XX, *ut fiat competens praebenda Vicariis. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XXI *Ne fiat amotio Vicariorum quaeſtus cauſſa. Ex concilio Aſchaffenburgenſi* Gerhardi. Cap. XXII, *ut nonniſi perpetui inſtituantur Vicarii. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XXIII *Ne delegatus fines transcendat reſcripti ſeu delegantis. Ex concilio* Gerhardi. Cap. XXIV *de reuerentia & plebis & ſacerdotis erga euchariſtiam. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XXV, *ut Epiſcopi in ſummis feſtis Miſſam celebrent. Ex eodem.* Cap. XXVI, *ut carceres habeant iuxta eccleſiam cathedralem, quibus coerceantur delinquentes Clerici. Ex eodem.* Cap. XXVII, *Ne Capellani officient ſine licentia ſuperioris. Ex eodem.* Cap. XXVIII *de obedientia Canonicorum Praelatis praeſtanda. Ex concilio Aſchaffenburgenſi* Gerhardi. Cap. XXIX, *ut fiat oratio a Clericis pro Rege & Regina.* Cap. XXX, *ne Sacerdos poſtulet, niſi pro ſe, eccleſia ſua, perſonis coniunctis, miſerabilibus, & dominis ſuis, utque id tunc fiat ſine quaeſtu.* Cap. XXXI *de monachis, ne exerceant officium aduocationis. Ex concilio* Wernheri. Cap. XXXII *ne monachi exerceant negotia ſaecularia. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi *ſecundum* MS. Helmſtadienſe; *ex concilio uero* Wernheri, *ſecundum* Guelferbytanum. Cap. XXXIII, *quod excuſatio ui metuue cauſſa non ſaluat inobedientem. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XXXIV *Abſolutionem* &c. *per uim extortam eſſe irritam. Ex concilio Moguntinenſi* Petri. Cap. XXXV, *ne actionum ceſſiones niſi iuſtis cauſſis fiant.* Cap. XXXVI, *de his, qui citari non poſſunt propter crudelitatem & potentiam, & ex eo, quod in caſtris habitant. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XXXVII *de his, qui litteras iudicum uel officialium, uel nuntium male tractauerint. Ex eodem.* Cap. XXXVIII *de foro competente Clerici. Ex concilio Moguntinenſi* Gerhardi. Cap. XXXIX, *ne pro aliqua re perſona eccleſiaſtica ad iudicium ſaeculare trahatur. Ex concilio Aſchaffenburgenſi.* Cap. XL, *ne eccleſiaſtici foueant cauſſas ſaecularium. Ex eodem.* Cap. XLI, *de ſequeſtrationibus. Ex eodem.* Cap. XLII, *de iure iurando. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XLIII, *de appellationibus. Ex concilio Moguntinenſi* Petri. Cap. XLIV *de uita & honeſtate Clericorum. Ex eodem ſecundum* MS. Helmſtadienſe, *& ex concilio Fritslarienſi* Sifridi, *ſecundum* MS. Guelferbytanum. Cap. XLV *de Clericis uagabundis, quibus nihil eſt erogandum, nec promouendi ad ordines. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XLVI *de poenis uagorum, qui profanant diuina, ſeu, de Clericis uagabundis, qui praeſumunt aliquando celebrare. Ex concilio Moguntinenſi* Wernheri, *ſecundum* MS. Iulium, *ex concilio uero Moguntinenſi* Gerhardi *ſecundum* Guelferbytanum. Cap. XLVII *de clauſtris monialium ſerandis. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. XLVIII *de habitu circa altare. ne ſacerdotes in rure ſine miniſtro litterato celebrent aliquatenus diuina, & de ſuperpelliceis campanariorum. Ex eodem, uel ex concilio Aſchaffenburgenſi, ſecundum impreſſa ſtatuta.* Cap. XLIX *ne Euchariſtia feratur in calopedibus. Ex concilio Aſchaffenburgenſi.* Cap. L, *ne beneficiatus in eccleſia cathedrali imret ſine religione. Ex eodem.* Cap. LI, *de Clericis uagabundis, quibus negatur libertas clericalis. Ex concilio* Petri. Cap. LII *de Clericis comptis, ſeu contra Clericos militares, qui uidelicet duplicem habitum portant, clericalem & quandoque ſaecularem. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. LIII *de cohabitatione Clericorum & mulierum. Ex eodem.* Cap. LIV *de continentia Clericorum. Ex eodem.* Cap. LV *de poenis Clerici incontinentis. Ex concilio Moguntino* Wernheri. Cap. LVI *de Clericis concubinariis, & de poenis Praelatorum, qui diſſimulant exceſſus. Ex eodem, ſecundum* MS. Guelferbytanum, *& ex concilio Fritslarienſi* Sifridi, *ſecundum impreſſas conſtitutiones.* Cap. LVII *de Clericis non reſidentibus. Ex concilio* Petri. Cap. LVIII *de iis, qui habent duo beneficia in ciuitate. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. LIX *de inſtitutionibus. Ex eodem.* Cap. LX *de praeſentandis Clericis ad parochiam. ne Clericus ſe de beneficio inueſtire permittat a laico. Ex concilio Aſchaffenburgenſi.* Cap. LXI *de Templariis & Hoſpitalariis. Nullus inſtituat Rectores ſine licentia. Ex eodem.* Cap. LXII *de conceſſione praebendae eccleſiae non uacantis. Ex eodem, ſecundum impreſſum exemplar, ex concilio autem Fritslarienſi, ſecundum* MS. Guelferbytanum. Cap. LXIII *ne Sede uacante aliquid innouetur. Ex concilio Aſchaffenburgenſi.* Cap. LXIV *de occupatione rerum eccleſiae. Ex concilio Moguntino.* Cap. LXV, *ut eccleſiaſtica beneficia in ſuo iure reſeruentur conferenda Clericis. Ex eodem, ſecundum* MS. Guelferbytanum, *& ex concilio Fritslarienſi, ſecundum reliquos duos codices.* Cap. LXVI *Praeſentatus ad beneficium cum diminutione tenetur conqueri ſuperiori. Ex concilio Moguntino, ſecundum* MS. Guelferbytanum, *& ex concilio Fritslarienſi, ſecundum reliquos.* Cap. LXVII *de rebus eccleſiae non alienandis. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. LXVIII *Quod res eccleſiae non concedantur. Ex eodem.* Cap. LXIX *de magiſtris fabricae. Ex eodem.* Cap. LXX, *ut res eccleſiae bis uel ſemel in anno inſpiciantur. Ex eodem.* Cap. LXXI *de bonis eccleſiae conſcribendis. Ex eodem.* Cap. LXXII *de participatione quorundam reditu-*

tuum. *Ex eodem.* Cap. LXXIII *de Aduocatis ecclesiarum. Ex concilio Moguntinensi.* Cap. LXXIV *de defensione ecclesiae per Aduocatum. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. LXXV *de occupatione bonorum ecclesiae. Ex eodem.* Cap. LXXVI *de pignoribus ecclesiae tradendis. Ex concilio* Petri. Cap. LXXVII, *ne de ecclesiae bonis pensio assignetur. Ex eodem.* Cap. LXXVIII *de emptione & uenditione rerum spoliatarum. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. LXXIX *de obligatione pignoris.* Cap. LXXX *de testamento inani. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. LXXXI *de legatione Clericorum prohibita. Ex eodem.* Cap. LXXXII *de testamento disponendo. Ex eodem.* Cap. LXXXIII *de concessione anni gratiae. Ex concilio Moguntino* Gerhardi. Cap. LXXXIV *de libera facultate legandi. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. LXXXV *de manufidelibus, & tempore consummandi testamentum. Ex concilio* Petri. Cap. LXXXVI *de sepulturis. Ex eodem.* Cap. LXXXVII *de oratione pro anima Episcopi. Ex eodem.* Cap. LXXXVIII *de potestate absoluendi habenda. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. LXXXIX *Hic prohibetur Religiosis audire confessionem sine licentia Plebani, etiam quocunque tempore anni. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. XC *de statu Monachorum. Ex eodem, secundum* MS. Iulium, *ex Fritslarienſi, secundum* impressum codicem. Cap. XCI *de compaternitate non contrahenda a monachis & monialibus. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. XCII *de uestibus monachorum & monialium. Ex eodem.* Cap. XCIII, *ne quis eligatur in Abbatem, nisi professus. Ex eodem.* Cap. XCIV *de electione Abbatis. Ex eodem.* Cap. XCV *de statu monachorum. Ex eodem.* Cap. XCVI *de ludis monacho inhibitis, & de statu & habitu eorundem. Ex eodem.* Cap. XCVII, *ne aliqua admittatur in Beginam ante quadragesimum annum. Ex eodem.* Cap. XCVIII *ne aliquis introeat domos Beginarum. Ex eodem.* Cap. XCIX *de conuiuiis monachorum. Ex concilio Moguntinensi.* Cap. C *de fugientibus e clausiris, eorumque poenis. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CI *de Beghardis & Beguttis reprobandis. Ex eodem.* Cap. CII *de capitulis monachorum. Ex concilio Fritslarienſi* Sifridi. Cap. CIII *de Religiosis officiantibus ecclesiis. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CIV *de dotis ecclesiae spolio. Ex eodem.* Cap. CV *de Aduocatorum usurpatione bonorum ecclesiae. Ex eodem.* Cap. CVI *de consecratione ecclesiae uel altaris. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CVII *de celebratione Missarum. Ex eodem.* Cap. CVIII, *in quo habitu sacramenta dentur. Ex eodem.* Cap. CIX *de celebratione primae Missae. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CX *de baptismo & eius effectu. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CXI *de Chrismate & Eucharistia. Ex eodem.* Cap. CXII *de obseruatione ieiuniorum. Ex eodem.* Cap. CXIII *de ecclesiis aedificandis. Ex eodem.* Cap. CXIV, *ne Suffraganeus consecret ecclesiam, uel ponat primum lapidem. Ex concilio Moguntinensi.* Cap. CXV *de positione primi lapidis. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CXVI *de emunitate ecclesiae uel cimeterii.* item, *de telonio exigendo. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CXVII *de statutis contra canones cassandis. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CXVIII *de refusione damni per angarias facti. Ex eodem.* Cap. CXIX *de emunitatibus seruandis, de iurisdictione ecclesiastica. Ex eodem.* Cap. CXX *Nullus instituat nouas exactiones.* Cap. CXXI *de occupatione bonorum ecclesiae. Ex eodem.* Cap. CXXII *de sponsalibus & matrimonialibus. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CXXIII *Nullus celebret duorum. Ex eodem.* Cap. CXXIV *de cognatione spirituali. Ex eodem.* Cap. CXXV *ut tantum unus patrinus assumatur. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CXXVI *de simonia. Ex concilio Fritslarienſi, uel Aschaffenburgensi, secundum impressum exemplar.* Cap. CXXVII, *ne aliquid pro sacramentis exigatur. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CXXVIII *de Iudaeis. Ex eodem.* Cap. CXXIX *de seruitiis Iudaeorum. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CXXX *de haereticis. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CXXXI *de apostatis a fide. Ex eodem, secundum* MS. Iulium; *ex concilio* Petri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CXXXII *de raptoribus & spoliatoribus Clericorum. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CXXXIII *Confirmatio statuti de captiuatoribus Clericorum. Ex eodem.* Cap. CXXXIV *de inhabilitate puerorum captiuantis Clericum. Ex eodem.* Cap. CXXXV *de poenis, quas incurrit captiuans. Ex eodem.* Cap. CXXXVI *contra spoliatores Clericorum.* Cap. CXXXVII, *ne laici occupent ecclesiastica. Ex eodem.* Cap. CXXXVIII *contra captiuatores Clericorum. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CXXXIX *de usuris & usurariis. Ex concilio Aschaffenburgensi, secundum codicem impressum; ex Fritslarienſi, secundum* MS. Guelferbytanum. Cap. CXL *de usurariis. Ex concilio Moguntino* Petri. Cap. CXLI, *Quilibet pro usura corrigendus. Ex eodem.* Cap. CXLII *de crimine falsi. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CXLIII *de sortilegiis. Ex eodem.* Cap. CXLIV *de clerico excommunicato. Ex eodem.* Cap. CXLV *de priuilegiis & excessibus priuilegiatorum. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CXLVI *de iniuriis & contitiatoribus. Ex eodem.* Cap. CXLVII *de poenis, qui Episcopum percusserit. Ex eodem, secundum* MS. Guelferbytanum, *& ex* Moguntino, *secundum* Iulium. Cap. CXLVIII *de poenitentiis & confessionibus, & de poena confessorum reuelantium confessiones. Ex concilio Fritslarienſi uel Aschaffenburgensi, secundum* MS. Guelferbytanum. Cap. CXLIX *de uisitatione infirmorum, & confessione eorundem. Ex concilio Fritslarienſi.* Cap. CL, *quod poenitens ferat secum litteras poenitentiales sui Plebani. Ex eodem.* Cap.

CLI

CLI *Quod Sacerdos non iniungat poenitentiam pecunialem. Ex eodem, secundum* MS. Iulium, *& ex concilio Moguntinensi* Wernheri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CLII *de ministratione Sacramentorum. Ex concilio Moguntino, & quidem* Petri, *secundum* MS. Iulium, Wernheri *uero, secundum* Guelferbytanum. Cap. CLIII *de indulgentiis largiendis. Ex concilio* Petri *uel* Wernheri, *secundum* MS. Guelferbytanum. Cap. CLIV *de monitione ad confessionem. Ex concilio Aschaffenburgensi, secundum codicem impressum; ex Fritslariensi, secundum* MS. Iulium; *ex Moguntino* Wernheri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CLV *de poenitentiariis substituendis. Ex concilio Fritslariensi, uel Moguntino* Wernheri, *secundum* MS. Guelferbytanum. Cap. CLVI *Fur poenitens restituat ablatum. Ex concilio Fritslariensi, secundum* MS. Iulium; *ex Moguntino* Wernheri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CLVII *de casibus principalibus & Apostolicae sedi reservatis. Ex concilio Fritslariensi, secundum* MS. Iulium, *ex Moguntino* Wernheri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CLVIII *de casibus Episcopo reservatis. Ex concilio Fritslariensi, secundum* MS. Iulium, *ex concilio* Petri, *secundum* Guelferbytanum. Cap. CLIX *de sententia excommunicationis. Ex concilio Fritslariensi.* Cap. CLX *de ignorantia sententiae excommunicationis. Ex eodem.* Cap. CLXI *de iniusta excommunicatione. Ex eodem.* Cap. CLXII *de excommunicato per Episcopum. Ex eodem.* Cap. CLXIII *de his, qui corpora mortuorum sepeliunt tempore interdicti. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CLXIV *de excommunicatis uitandis. Ex eodem, uel Moguntino* Petri, *secundum impressa Statuta.* Cap. CLXV *de uerborum significationibus. Ex concilio Aschaffenburgensi.* Cap. CLXVI *de regulis iuris. Ex eodem.*

CONCILIVM * XXXIX

Anno MCCCXVIII ab eodem Petro *Archiepiscopo, Moguntiae (ni coniectura nos fallit) celebratum. In quo quae constituta fuerint, cognoscere est ex sequenti epistola, quam e codice quodam mscr. academiae Marburgensis huc affero.*

PETRVS Dei gratia sanctae Moguntinae Sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, uniuersis & singulis per ciuitatem & dioecesim Moguntinam constitutis salutem in Domino, & notiam subscriptorum.

Cum, sicut non sine dolore & frequenti querela didicimus plurimorum, nonnulli Archidiaconi nostrae dioecesis contra statuta prouincialis concilii Moguntini, poenas etiam comprehensas in statutis huiusmodi, non uerentes, fructus beneficiorum, super quibus coram ipsis aut eorum officialibus lis uertitur, pendente lite suis usibus applicant, & hactenus applicarunt, facientes propterea litem, faciliter & breui tempore possibilem terminari, in graue tam beneficiorum quam partium praeiudicium, prorogari, quanquam ipsi fructus pendente lite forent ei, qui in lite uinceret, reseruandi. Nos, quia parum ualerent iura uel statuta, nisi executioni debitae mandarentur, ex debito nostri officii pastoralis, transgressiones huiusmodi, urgente etiam ad hoc nos conscientia, poenis in praedictis statutis comprehensis praeuenire taliter cupientes, ne sit aliis exemplum similia perpetrandi, ius etiam nobis per hoc acquisitum nolentes negligere in hac parte, in hac sancta synodo sub poena excommunicationis latae sententiae in his scriptis, quam contrarium facientes incidere uolumus ipso facto, statuimus & firmiter inhibemus, ne aliquis Archidiaconus ciuitatis & dioecesis Moguntinae, qui hactenus talia perpetrauit, quemquam de quocunque beneficio praesumat inantea inuestire, & ne aliqui ab ipsis aliquas inuestituras de cetero ad quaecunque beneficia praesumant recipere ullo modo, sed a nobis inuestituras recipiant, ad quos uigore praedictorum statutorum pertinet inuestire, decernentes cum hoc irritum & inane, si secus ad quemquam fuerit attemptatum, eos etiam, qui hactenus contrarium attemptauerunt, in uirtute sanctae obedientiae praesentibus amonemus, ut de commissis infra unius mensis spatium satisfaciant, ut tenentur; alioquin contra eos modis, quibus expedit, procedemus.

Item sub poena excommunicationis praedicta latae sententiae in his scriptis districtius inhibemus, ne Archidiaconi uel eorum Officiales iudicent, uel Notarii aliquid scribant, uel Aduocati aduocationis officium exerceant, aut Procuratores procurent coram ipsis in causis quibuscunque pecuniariis duarum marcarum argenti excedentibus quantitatem, ad quam summam alias ipsis de speciali gratia ultra statuta praedicta concessimus iudicare,

licet ultra ſummam praedictam ſaepe, ſicut didicimus, iudicauerint & iudicent, praedicta noſtra gratia abutendo.

Item, multorum clamoribus excitati, iuſtis quoque & neceſſariis cauſis nos mouentibus in hac parte, ſub poena excommunicationis, quam transgreſſorem quemlibet incurrere uolumus, latae ſententiae in his ſcriptis, firmiter inhibemus, ne aliquis Archidiaconus ciuitatis uel dioceſis Moguntinae, aut eius uices gerens, pro eo, quod aliquem uel aliquos de aliquibus beneficiis eccleſiaſticis inueſtiat, quidquam exigat, extorqueat, recipiat, uel requirat, & ne aliqui per ſe, uel per alium quidquam pro eo, quod inueſtiantur, dare praeſumant, excepto litterarum ſalario*, quod tamen unum fertonem argenti non excedat. Quapropter Archidiaconi uel uices eorum gerentes a ueris Patronis ad beneficia eccleſiaſtica in concordia praeſentatos canonice ultra unius menſis ſpatium non differant inueſtire: alioqui nos poſt lapſum dicti menſis, niſi rationabilis cauſa obſtiterit, inueſtiemus taliter praeſentatos.

* *mſcr. male,* ſollario

Item ſub praedicta poena excommunicationis latae ſententiae, quam in his ſcriptis proferimus, & transgreſſores incurrere uolumus ipſo facto praeſentibus, ne aliquis ſine noſtra obtinenda dono ſpeciali gratia (&) licentia ſuper eo, fructus beneficii uel beneficiorum, quae tenent * cum cura, in quo uel in quibus non facit reſidentiam perſonalem, recipiat, uel ſe de eis uel per alium aliquatenus intromittat, ſed ipſos noſtrae diſpoſitioni pro menſa noſtra dimittat; cui noſtrae menſae ex ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicae competere dinoſcuntur, & etiam ut non promoti infra ſtatuta a iure tempora * ad quos beneficia, quae tenent, requirunt, ſe de fructibus beneficiorum talium nullatenus intromittant, ſed noſtrae diſpoſitioni ipſos dimittant in uſus debitos conuertendos.

* *f. tenet*

* Haec uerba, *ad quos beneficia, quae tenent, requirunt* --- ita ſe habere in *mſcr.* Cl. Vir, *Ioan. Ioach. Schroederus*, in academia Marburgenſi linguarum Orient. P. P. digniſſimus, qui id rogatu meo curate inſpexit, mihi ſignificauit.

Item ſub poena excommunicationis iam latae ſententiae omnibus & ſingulis eccleſiarum Plebanis & Vicariis praecipimus, * quae ſibi demandantur, utantur, nullam etiam pro ſigillatione litterarum huiusmodi recipiant pecuniae quantitatem; uolentes, quod poſt praedictos duos menſes nulli executioni credatur, niſi fuerit ſigillo eius, cui ſcripta fuerat, ſigillata.

* Et haec uerba: *quae ſibi demandantur, utantur*, ita ſe habent in *mſcr.*

Item ſtatuimus in hac ſancta Synodo, & firmiter praecipimus in his ſcriptis, quod per totam ciuitatem & dioceſin Moguntinam ceſſatio diuinorum clauſis ianuis & excluſo populo uniformiter obſeruetur.

Item, quia Stationarii ſiue Quaeſtuarii, ſicut experimentaliter didicimus, ſaepe & quidem frequenter in commiſſis ſibi negotiis noſtris litteris abutuntur, & licet aliquando ad tempus aliquae ſint conceſſae, quod diutius eſt transactum, tamen ipſis uti praeſumunt, ac ſi habeant roboris firmitatem, homines miſerabiliter defraudando; nonnulli etiam falſis utantur litteris in hac parte, ſicut nobis ſcientibus hoc plurimum eſt compertum: Nos igitur praemiſſis adhibere opportunum remedium cupientes, omnes litteras noſtras, etiam filiorum noſtrorum *, ſub quacunque forma uel ſub quocunque tenore, quibuscunque monaſteriis, eccleſiaſticis uel perſonis datas uel conceſſas in his ſcriptis penitus reuocamus, & de cetero nolumus habere alicuius roboris firmitatem, & ſi ex aliquibus iuſtis cauſis ad hoc nos mouentibus aliquas concedemus, illas Praelati & Plebani locorum, ubi deuenerint, inſpiciant diligenter, & ſi in data ipſarum eas uiderint exſpiraſſe, uel in ipſis deprehenderint falſitatem, aut utens ipſis plus per eas praeſumat facere, quam uires litterarum huiusmodi patiuntur, utentem talibus litteris non obmittant corporaliter detinere, quousque, quid cum tali fieri debeat, a nobis recipiant in mandatis.

* Haec uerba, *etiam filiorum noſtrorum*, itidem diſtincte ſatis in mſcr. leguntur. Vix tamen dubium, quin a librario deprauata ſint, forte, loco uocis, *familiarium*, per compendium litterarum ſcriptae, poſito uocabulo, *filiorum*.

Item

Item exequendo constitutionem publice nuper editam sub poena excommunicationis in eadem constitutione prolatae praecipimus firmiter & mandamus, ne aliqua pro Begina se de cetero teneat, statu, habitu, re, uel nomine, aut alio quouis modo, & ne aliquis hominum ipsas uoueat in statu, uel in habitu Beginarum.

Item omnes concessiones quibuscumque personis religiosis super audiendis confessionibus in casibus nobis a iure reseruatis, & super ministrandis ecclesiasticis sacramentis subditis Plebanorum, praesentibus reuocamus, nolentes, quod de cetero habeant roboris firmitatem.

Item sub poena excommunicationis latae sententiae praesentibus inhibemus, ne uagae restitutiones alicui hominum, quam *Ioanni* de *Treuiri*, Praebendario, & *Dilemanno Fest*, Vicario ecclesiae Moguntinae, nostris Poenitentiariis, praesententur, uel etiam ad aliquos usus alios conuertantur, absque nostra licentia speciali.

Fratres autem *Praedicatores*, *Minores*, *Augustinenses*, & *Carmelitas*, cum ipsi pauperes elaborent uineam Domini, & in ea multarum saluti proficiant animarum uerbo pariter & exemplo, Discretioni uestrae duximus commendandos, diligentius iniungentes, ut cum ad uestras parochias peruenerint, propter Deum beniuole recipiatis, & benigne pertractetis eosdem, sub poena excommunicationis praecipientes, ne aliquis contra iustitiam ipsos perturbet uel molestet. Datum anno Domini MCCCXVIII, VII Id. Iunii.

CONCILIVM XL

Anno MCCCXXVII, praeside *Matthia* Archiepiscopo Moguntino, cum Suffraganeis, Abbatibus, Praelatis, & Sacerdotibus, generale, id est, prouinciale habitum; in quo plura pro reformatione status clericalis constituit; quae tamen nullum aut modicum habuerunt profectum, ob mortem *Matthiae*, & nouum a Papa datum successorem *.

* Trithemius *loc. cit. tom. II p.* 166. *Vid. lib. IV* Statutor. Moguntin.

CONCILIVM XLI

Anno MCCCLIX a *Carolo* Imperatore, praesentibus tribus Archiepiscopis & regni Principibus, Moguntiae congregatum. In eo *Philippus* Episcopus Cauallicensis, Pontificis legatus, qui nomine Pontificis omni Clero per totam Germaniam inauditam pecuniarum exactionem imponere contenderat, fuit auditus. Concilium hoc negotium commisit *Conrado* de *Alzeia*, *Ruperti* Comitis Palatini Cancellario, qui pro Cleri defensione egregie respondit, & postea legato Imperator in consessu responsum dedit, Clerum tam insolita dare non posse; potius Pontificem cogitare debere de Cleri uitiis, horumque reformatione *.

* *Haec omnia constant ex* Trithemio *l. c. p.* 235 *& seqq. ubi etiam habetur summa orationis* Conradi; Serar. *l. c. p.* 858 *& seq.* (p. 674 & seq. edit. nou.)

CONCILIVM XLII

Anno MCCCLXXII praesente Imperatore in frequentia ecclesiasticorum & politicorum Principum habitum; in quo disquisitum fuit, quid Pontifici, ecclesiasticorum redituum decimam petenti, respondendum sit; ut docemur a *Serario* *.

* *l. c. p.* 861 (p. 682 edit. nou.)

CONCILIVM XLIII

Anno MCCCCXXIII, praeside *Conrado III* Archiepiscopo Moguntino, praesentibus reliquis, qui prouinciali concilio interesse solent, celebratum. In eo quaedam Statuta sunt edita.

Quae habentur lib. IV Statut. Moguntinor. *nid.* Serarius *l. c. p.* 142 (p. 105 edit. nou.) & 874 (p. 736 edit. nou.)

Cum

Cum indictum esset, Moguntinae Senatus ciuitatis publicis litteris *Conrado* fidem dedit, se tum ipsi, tum Episcopis ad id uocatis, horum itidem, si ipsi non accederent, legatis potestatem facere, tuto ad se ueniendi, & deinde domum redeundi.

Quas cum legere e re sit, hic dare consultum duxi. Sic aut m habent:

Dem Ervvurdigen in Got Vater vnd Heren, Heren Conrad *Erzbischoffen zu Menze, des heiligen Romischen Richs in dutschen Landen Erzcanzler vnd Stathalter, entbieten vvir vnser oitmudige vvillige dienst zuvor.*

Gnediger lieber Herre,

So als vvver Gnade ervvie viel Ervvurdiger Herren vnd Bischoffe, die vnder vvver Gnade vnd das Erzbischtum zu Menz gehorent, zu eyme Concilio prouinciali in vnsere Stat berufen vnd geheischen hant vff den Donrstag nach halb Vasten nehstkomende by vns mit yren selbs personen zu sin, ader ire follenkommende mechtige botschafte vnd procuratoren vff die zyt daselbst zu habende; des geben vvir denselben Ervvurdigen Herren vnd Bischoffen allen vnd ir iglichen besunder, vnd den yren, die sie also mit yn zu dem concilio prouinciali bringen, ader von yren vvegen darzu schicken vverdent, eyn gut sicher geleyde fur vns vnd die vnseren, vnd sust allermenliche inn vnser Stat vnd vvidder darus, vor gevvalt, nach vnsre Stete gevvonheit vnd herkomen, ane alles geverde. Datum sub sigillo nostro ad causas, secunda die mensis Marcii A. D. MCCCCXXIII.

Burgemeister vnd Rait zu Menze.

Initium sumsit Iouis post mediam Quadragesimam, ut ex ipsis his litteris explicate patet.

*CONCILIVM * XLIV*

Cum tempus subiisset, quo concilio Basileensi dandum erat initium, consultum ducebat Conradus *Archiepiscopus, libere Patribus conscriptis aperteque exponere, quae ecclesias Germanicas premerent incommoda, quaeue remedium poscerent ac emendationem. Ante tamen, quam in medium conferret ea, suis cum Suffraganeis maturo omnia discutere statuit consilio. Singulos igitur omnesque ad concilium prouinciale habendum inuitauit, paterne rogans, ut ad diem XII Nouembr. sibi adsint, uel, si id non liceat, Oratores plena instructos potestate mittant, ut lib. V* rerum Moguntiacarum *in uita* eius *adnotat. 62 ad § IV* Serarii *p. 744 iam dixi.*

Habitum autem fuit Aschaffenburgi anno MCCCCXXXI, initiumque sumsit die dicto XII Nouembr. uti similiter ibidem monui.

Idem ut facerent, acrique ea, una cum suis, peculiaribus in conuentibus iudicio discernerent atque expenderent, iuncta ipse cum Colonienſi *opera,* Salisburgenſem, Magdeburgenſem, *&* Bremenſem *Archiepiscopos, litteris d. XXI Septembr. scriptis excitauit; unumquemque obtestatus, ut post synodum sua in prouincia habitam, nuntios ad XIX Nouembris diem Moguntiam deleget. Omnium enim optime, collatis sententiis, statui posse, uti mala, quae ecclesias Germanicas hactenus afflixerint, deformarintque, Patribus concilii ante oculos ponere conueniat.*

Non alienum, uti reor, faciam, si litteras ad Salzburgenſem *tum datas hic inseram.*

Amicitiam uestram quanto studiosius possumus exhortamur in Domino & rogamus, quatenus ob zelum katholicae fidei, & uniuersalis & praesertim Germanicae ecclesiae augmentum, ac statum pacificum ordinis Clericalis, ibidem uestros uenerandos Suffraganeos per se uel suos nuntios speciales ad uestram prouincialem Synodum dignemini, quantocius poteritis, euocare, in qua discutientes & maturo consilio colligentes tam spiritualia, quam temporalia incommoda & grauamina, ac cetera, quae statum & reformationem tam metropolis & suffraganearum ecclesiarum uestrarum, quam totius Germanicae nationis, & ecclesiastici status conseruationem conspicere uidebuntur: quae tandem sic collecta per uestros Oratores & nuntios, pleno mandato suffultos, ad ciuitatem Maguntinam, quam talismodi congregationi cunctis metropolibus Alamanniae credimus aptius situatam, in diaeta, quam praefiximus, ad XIX diem mensis Nouembris referre uelitis & destinare, ad quam diaetam & nos, prouincialibus nostris synodis interea similiter celebratis, conuenturi, speramus Reuerendissimos Patres *DD. Magdeburgenſem* & *Bremenſem* Archiepiscopos, amicos nostros carissimos, a nobis

nobis pariformiter deprecatos, per suos & Suffraganeorum suorum nuntios similiter in dictum terminum conuenire, & intentionis nostrae foret, ut uestri ac aliorum Archiepiscoporum praefatorum atque nostri in memorato S. Concilio constituti oratores & nuntii in cunctis in eodem generali concilio tractandis & gerendis, iuxta determinata concluſa & assumpta in dicta conuentione Moguntina pro huiusmodi reformatione, reductione, & conseruatione, speratis pariformiter intenderent, & pro eis eo facilius obtinendis accuratius inhaererent.

Vestrum in praemissis responsum amicabiliter praestolamur, nos ad uestra beneplacita affectione gratissima semper ultroneos offerentes. Datum *Lanstein* sub nostri *Conradi* sigillo, quo & nos *Theodericus* Archiepiscopus memoratus propter nostri sigilli absentiam in praemissis coutimur de praesenti, XXI die Septembris an. MCCCCXXXI.

CONCILIVM * XLV

Habitum Moguntiae a Theoderico *Archiepiscopo anno MCCCCXXXVIII, tempore anniuersarii Christianorum ieiunii, ex caussis, quas litteris exposuit sequentibus*:

Gratam & sinceram complacendi uoluntatem, *Reuerende Pater & Amice charissime*, nec non *Honorabiles in Christo nobis sinceriter dilecti.*

Inter ceteras nostri pastoralis officii sollicitudines istam, qua pax & ecclesiae sanctae Romanae unitas, reformationisque tam in capite quam in membris prosecutio possent conseruari, minimam minime reputamus, quarum * nisi salubri proueniatur remedio, grauem suboriri ueremur scissuram, ultra quam calamo perarare ualemus, populo Dei dispendiosam. Sane cum nonnullis defluxis diebus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus *Eugenius*, Papa modernus, nobis, nostrisque S. R. I. Coelectoribus, sacri Basilienſ. concilii ad ciuitatem Ferrariensem ex causis in Bulla Sanctitatis suae nobis exhibita expressatis, translationem insinuari, nosque requiri fecerit, quatenus ad concilium Ferrariense per Sanctitatem suam indictum nos duceremusconferendum; Porro inclita Germaniae natio in sacra Basilienſi synodo collocata pridie nobis intimauit, qualiter huiusmodi translatio ad ciuitatem Ferrariensem praedictam facta, etiam contra sacri concilii Basilienſis decreta, dictarum pacis, unitatis, & reformationis nimium foret destructiua, ordinariae auctoritatis turbatiua, &, quod seuerius commemorabat, huiusmodi translatio tanti sit dissidii, per quod spes totius reformationis iam factae & faciendae cessaret, abusus Romanae curiae exuberanter succresceret, & consequenter plurima pericula, maximamque ignominiam in Germaniae partibus germinaret. Praeterea natio supradicta nos debita requisiuit instantia, quatenus decreta in sacro Basilienſi concilio super sublatione reseruationum, propter quam cuilibet Ordinariorum beneficia in dioceſi sua uacantia libere incumberet conferre, quibus etiam decretis cautum existit, quod ibi causae debeant tractari & terminari, ubi originem assumserunt, quodque non, omisso medio, ad Papam, sed ad Ordinarium immediatum prouocari debeat, quodque eiusmodi decreta auctoritatem superioribus conseruarent, charitatem in inferioribus corroborarent, & innumeris periculis & abusionibus obuiarent, gratanter acceptare, per nostram metropolim insinuare & publicare, ipsumque sacrum Basilienſe concilium manutenere, & fauoribus nostris assistere oportunis, utque de ordine & modo, quibus Sanctitati dicti Domini nostri, aliisque Praelatis propter annatarum subtractionem competens fieret prouisio, auisare dignaremur, prout haec per dictae nationis uenerabilem Oratorem liberalioribus uerbis existunt deducta. Et quis est, qui harum rerum magnitudinem non ponderabit? Rem itaque tam grandem, tamque arduam intactam reliquimus, maiori & celebriori digestioni pertractandam.

* f. utrique

Maturo igitur cum nonullis doctis, deuotis, & fidelibus nostris dilectis ad id signanter euocatis super praemissis praehabito consilio arbitrati eramus, expedire, ad uos, aliorumque nostrorum Suffraganeorum, nec non eorundem Capitulorum praesentiam atque notitiam praemissa sub compendio per-

ferre, post digestam deliberationem de harum mole rerum consulta uestra, quid circa praemissa agendum & concludendum finaliter existat, nobis die subnotato communicanda expetere & explorare; & quoniam hanc rem celerem desiderare expeditionem nemo est, qui non animaduertat, quare, prout antefatum est, certum diem, uidelicet dominicum diem, quo in ecclesia Dei *Iudica* cantatur, proximo quadragesimali tempore futurum, Venerabilibus & Deuotis nobis dilectis Decano & Capitulo ecclesiae nostrae Moguntinae, Cleroque uniuerso ciuitatis eiusdem decreuimus indicendum, cum intimatione, quatenus hoc die cum ceteris sequentibus diebus nobiscum conueniant, & constituantur in ciuitate Moguntina, inibi, quid circa praemissa agendum sit, pertractaturi & consulturi. Nec breuiorem terminum praefigere conueniebat, praetextu electionis Romanorum Regis in Caesarem Deo propitio promouendi nobis impeditis.

Quare uestram exhortamur Charitatem, in uisceribus etiam Domini nostri Iesu Christi exorantes, ut sollicitudo uestra cum Capitulo, Doctis, & Clericis ecclesiae uestrae conuenire, ea, quae superius exposita sunt, & ipsa quomodolibet tangentia mature & fideliter pertractare, quidue deceat, quidue in his dedeceat, examinare, & demum concludere uelit, quid in hac re felicius fuerit amplexandum. Nos die superius commemorato de huiusmodi uestris intentionibus, pertractatis, deliberatis, & conclusis, in quo etiam finaliter exoptatis residere, ad supradictam ciuitatem Moguntinam per fideles & constantes uestrae Charitatis Oratores certificando, dictosque uestros Oratores eatenus deputando & fulciendo, quatenus si aliquid per nos, alios Suffraganeos nostros, quibus similia denuntiauimus, aut eorum Ambasiatores, nostrumque Clerum supra dictum tempore & loco praedictis foret pertractandum, determinandum, & concludendum, circa praemissa & ipsorum quodlibet, ob mandati defectum omitti non oporteat; imo uerius sine morae dispendio prosequatur, quod canonicum, honestumque sit, & uisum fuerit expedire pro populo Dei ad laudem Omnipotentis clementiae, atque nobis ad complacentiam ualde gratam. Super quibus omnibus uestrum efflagitamus in scripto responsum. Datum in castro nostro Aschaffenburg uicesima prima die mensis Februarii, anno MCCCCXXXVIII.

His adde alias, quibus Augustano, Argentoratensi, Curiensi, *&* Hildesheimensi *concilii conclusa aperuit.*

Gratam in Christo complacendi uoluntatem, *Reuerende Pater*, *Amice charissime*. Satis liquide ex scriptis nostris, uestrae Paternitati dudum de mense Februario factis, illiusmodi doctrina & dissidii materia, quae inter Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum *Eugenium* Papam quartum ex una, nec non Sacrosanctum Basiliense Concilium partibus ex altera, suscitata existit, alias proh dolor! plus nota, innotescere potuit, amaritudinem hoc praetextu animum nostrum praefulgentem habunde demonstrantibus, & non immerito, cum haec res ecclesiasticum statum uerisimiliter innumeris commouere dispendiis, & populi salutem christiani impedire conspiciatur; idcirco certum terminum, uidelicet diem dominicam, qua in ecclesia Dei *Iudica* decantabatur, proxime praeterita, uestrae Caritati pariter & aliis nostris Suffraganeis insinuauimus, exhortatique fuimus, quatenus hoc die uestros constantes & literatos uiros transmittatis, inibi cum aliis dicta die ad huiusmodi locum euocatis interessendum, atque in re tam ardua pertractandum & concludendum, quod necessarium & oportunum. Et quia pluribus aliis ad eundem locum praedicto die suos notabiles Oratores mittentibus uos reperimus, de quo satis miramur, nec uenisse, nec misisse, ideo cum his, quorum copia illic erat, id quod expedierat, pertractatum fuit & conclusum: ubi inter cetera exhibita haec fuere, quae praesentibus inseruntur, (&) per nos uestrae Caritati transmittuntur. quae siquidem potissime per nostros Coelectores super electione Romanorum Regis nouissime Francfordiae constitutos digesta fuerunt, fabricata, & concluſa. Vnde cum huiusmodi protestationis & unionis effectus claudere postulatur, quos-

uis ad-

uis adhaerere nobis ipſisque Coelectoribus noſtris ſatagentibus, ſitque nobis creditum, ea ipſa per noſtram etiam metropolim publicare, & uota eorum, qui ſcuto proteſtationis & unionis praedictarum cupierint manuteneri, uigilanter explorare, uobis earundem copiam duximus mittendam atque inſinuandam.

Quocirca ueſtram deputamus Caritatem, nec non eandem metropolitica requirimus auctoritate, quatenus, una cum Coelectoribus noſtris antefatis atque nobis, uos, ueſtrumque Clerum uniuerſum, ueſtraeque ditioni ſuppoſitos Status, etiam quoscunque, prouiſioni noſtrae huic huiusmodi ſubiugare, ſub umbra & uiribus earum reſpirare, nosque, prout antefatum eſt, de huiusmodi ueſtra, ueſtrorumque intentione quantocius certificare uelit; in quo Deo obſequium uos arbitramur exhibere, & facietis nobis complacentiam, uicaria exhibitione rependendam. Datum Aſchaffenburg VII Aprilis MCCCCXXXVIII.

CONCILIVM * XLVI

Celebratum Aſchaffenburgi ab eodem Archiepiſcopo Theoderico, *anno MCCCCXL, menſe Auguſto. Teſtimonio nobis ſunt tum litterae, quibus id indixit, tum concilii ipſius concluſa.*

Illae *ita habent*:

Sinceram in Domino complacendi uoluntatem, ***Reuerende Pater & Amice chariſſime.*** Notum eſt, ut ad literam loquamur, quanta propoſiti noſtri tenacitate procelloſos turbines, nauiculam Petri, principis Apoſtolorum ſanctiſſimi, hoc eſt, eccleſiam Dei uniuerſalem, per ſciſmatis horrendi ingluuiem indies adoleſcentis, acerrime concutientes, a facie eiusdem abluere, ac deinceps uenerabilem metropolim noſtram in unitatis ſuauitate conati fuerimus cuſtodire. Cuius etiam rei contemplatione, quo praefata noſtra pacata gauderet metropolis, ac ſciſſurae iſtius, quae humanae fragilitatis contracta eſt haud dubium demeritis, non attereretur incommodis, anno iam decurſo concilium indiximus prouinciale, ubi inter cetera, quod pepigerunt ſacri Imperii Principes, Coelectores noſtri, foedus, cum proteſtatione ipſi ſubnixa, concorditer acceptatum. Sperabatur utique, quod in tanti uirtute foederis natio Germanica, in ſe unita, flagella altricem noſtram, ſanctam Dei eccleſiam, inſolito more conſtringentia, poſſet accuratius decurtare. Videmus uero modo, qualiter nec impendiis, nec ſacrificiis, nec legibus noſtris humanis Maieſtas diuina, noſtris exacerbata facinoribus, hactenus implacata, in noſtrae matris anxietate, noſtris auſpicia ingeniis auulſerit praeoptata. Decreſcit nimium reuerentia a minoribus potioribus debita, momentaneis ceſſat uicibus obedientia, inſurgunt propemodum pernicioſiſſimae lites, accedunt iurgiorum incommoda, prauatae quaeruntur uſurpationes, nutriuntur ſciſmata, diuerſa homicidiorum genera proruunt, rariſſimus iuſtitiae uigor, uariis eccleſiaſtica libertas, quam fundamentum eſſe praecipuum chriſtianae religionis eſſe exiſtimamus, laceſſitur iniuriis, Clerus, qui de ſorte Chriſti eſt, pedetentim humiliatur, &, ut plura paucis perſtringamus, in hereditate Domini eccleſia fere confracta & conciſſa, noxius dietim horror inhabitare deproperat. quae profecto nobis indicium praeparant, quantum humanae conceſſum ſit poteſtati, diuinae mitigandam fore poteſtatis ultionem, pacem in eccleſia ſtruendam, & fidelium Principum ope & auxilio fluctus ſciſmarum craſſarum protinus placandos.

Cognoſcentes itaque, quodcunque in rebus tam arduis cum ueſtro & aliorum ſanctae noſtrae Moguntinae Sedi affectorum fuerit ordinatum conſilio, id ad beatitudinem noſtrae metropolis accedere, & in ipſius gloriam plurimum redundare; quare generalem noſtrae Moguntinae prouinciae Suffraganeorum conuentionem in craſtinum diem, quae eſt dies Martis, poſt proximum feſtum aſſumptionis glorioſae uirginis *Mariae* immediate ſequens, in oppidum noſtrum *Aſchaffenburg*, deliberatione matura praecurrente, decreuimus inſtituendam; ad quam tanto ardentius motus noſtros contulimus, quanto

ſincerius Sereniſſimum Principem & Dominum, Dominum *Fridericum* Romanorum Regem & ſemper Auguſtum, ad pacem in eccleſia ponendam nouimus inclinatum, quem hoc praetextu in diaeta ſuae Serenitatis auctoritate in ciuitatem *Nuremberg* in feſto *S. Michaelis* proxime futuro inſtituta, cum ſacri ſui Imperii Principibus Electoribus, Optimatibus, & Satrapis nouimus conuenturum, ut inibi ſecum exiſtentes dictorum noſtrorum Suffraganeorum prius freti conſiliis ſuae ualeamus Serenitati conſilia referre ſuper praemiſſis, pro dicti Imperii & noſtrae prouinciae profectu grata futura.

Veſtram itaque Amicitiam in D. N. I. C. hortamur, & ſinceriſſime rogamus, quatenus ad huiusmodi congregationem die & loco praefatis inſtitutam, omni ceſſante impedimento, pro debito, quo noſtrae aſtringimini metropoli, uos conferatis propria in perſona, aut ſaltim, euidenti prohibiti neceſſitate, ueſtros doctos & conſtantes Viros transmittatis, ad tractandum, conſulendum, concurrendum, & concludendum in dextera omnipotentis Dei & noſtra uirtute unita, quo pacto praemiſſis modo occurratur diſpendiis, ac etiam, ſi uiſum fuerit expedire, ad declarationem ſubeundam, cui partium ſit adhaerendum, alia quoque, quae neceſſaria uidebuntur, ne una nobiſcum improuiſi ac intenti, nobis circa rem familiarem praeoccupatis, in tanto diuagantes & oberrantes exitio, anfractibus irreparabilibus ſubiiciamur. Rogamus etiam Charitatem ueſtram, ut nos de intentione ueſtra certificare non detrectetis. Datum - - - MCCCCXL.

Piam hanc optimi Praeſulis ac Metropolitani ſui curam atque ſollicitudinem multa omnes proſecuti laude, reſponderunt, in obſequium ſe eſſe paratos, ac, qui negotio ſint pares, ad diem praeſtitutum miſſuros. Nec cunctati, hanc in legationem delegare uiros uirtutis iuxta litterarumque praeſtantia excellentes: Fridericus *Vormatienſis* Ioannem Ladbaum, *Canonicum Vormatienſem*; Reinhardus *Spirenſis* Andream *de* Lapide, *Praepoſitum ad* SS. Trinitat. M. Rugkerum *de* Luterburg, *SS. Theologiae D. eccleſiae Spirenſis Canonicos, nec non* Ernestum Dufel, *Canonicum eccleſiae, quae Confluentiae ad* D. *eſt* Florini: Ioannes *Verdenſis* Conradum Albenborch, *Canonicum Verdenſem & Archidiaconum*; Henricus *Conſtantienſis* Hermannum *de* Laudenburg, *Canonicum Conſtantienſem*, & M. Conradum Ludli, *Decretorum Doctorem*; Magnus *Hildesheimenſis* Ioannem Svvanenflügel, *Decretorum Doctorem, Decanum eccleſiae Hildeſienſis*, & Henricum Leubing, *Praepoſitum eccleſiae* S. Martini; Burchardus *Halberſtadenſis* Conradum Donckorf, *Decretorum Doctorem*; *quem tamen, cum itineri ſe iam accinxiſſet, tam grauis improuiſo inuaſit morbus, ut progredi haud potuerit. id quod* Burchardus *his* Theodorico *ſignificauit uerbis*: Qui cum in procinctu itineris iam fuiſſet conſtitutus, inopinata aegritudo eum adeo circumdabat, quod uiribus penitus fuerit deſtitutus ----- quod ſtylo lugubri benigna cum ſupportatione duximus propalandum metuendae Dominationi ueſtrae. *Alii alios. Omnes uerbis honorificis, omnisque obſeruantiae plenis* Theodoricum *proſecuti*. Vormatienſis *quidem his*: Ervvurdigſter in Gott Vatter, gnediger libet Herre. Uvver Gnade entbiete ich min gehorſam vnd vntertenige vvillige dienſt allzyt zuvor. Als Uvver Gnade hat tun ſchriben *cet. Halberſtadenſis*: Recommendatione ſinceriſſima, ſolita cum ſubiectione ac uotiua complacendi promptitudine, Reuerendiſſime Pater, & Domine, ac Praeceptor multum metuende; *Spirenſis*: Reuerendiſſime Pater & Domine mi gratioſe. *Curienſis*; Reuerendiſſime Pater & Princeps gratioſiſſime. Poſt humilem recommendationem, obſequioſam ſemper uoluntatem *cet. Eichſtadienſis*: Cum ſui recommendatione ſeruitutem tam debitam, quam paratam. Reuerendiſſime Pater & Domine gratioſe ——— V. R. humilis Seruitor & Orator *Albertus* Epiſcopus eccleſiae Eyſtettenſis. *Quae cum deceant, qua olim Suffraganei erga Metropolitanos ſuos fuerint obſeruantia, praeterire nolui.*

Concluſa *fuere haec*:

Placuit conuentioni Aſchaffenburgenſi proteſtationem, unionem, & foedus Dominorum Principum Electorum & aliorum conſeruari, manu teneri, & defendi usque ad deliberationem effectualem.

Receptum eſt ab omnibus, ut unusquisque Suffragancorum grauamina, impetrationes, & innouationes contra praemiſſam proteſtationem, aut alias in praeiudicium eccleſiae ſuae, aut ſubditorum ſuorum a quacunque parte contendentium, praeſertim durante tempore proteſtationis impetratas ſeu conceſſas, impetrata ſeu conceſſa, conſignari faciat, ut tandem, poſtquam deliberatum fuerit, cui parti unanimis adhaeſio fieri debeat, praecaueatur indempnitas eccleſiae, uel ſubditorum, in quorum praeiudicium praemiſſa

uergere

uergere uideantur. Et haec per uiam reuocationis, restitutionis, uel aliam uiam, prout Domino Metropolitano & Suffraganeis suis uidebitur expedire.

Auisatum est concilium, ut Domini Suffraganei se uicissim & una cum Domino Metropolitano constringant de non inclinando seu recipiendo aliquam partem, nisi prius & ante omnia ea, quae per partes contendentes, alium uel alios, quemcunque uel quoscunque, durante dicta protestatione, in praeiudicium, laesionem, seu grauamen, directe uel indirecte, Domini Metropolitani, suorum Suffraganeorum, ecclesiarum, Dominorum, Collegiorum, Praelatorum, personarum, & suorum subditorum quorumcunque, etiam contra foedus, protestationem, & unionem dudum per sacri Romani Imperii Principes Electores & alios Metropolitanos initas, uel etiam contra decreta dudum saluis modificationibus acceptata, in iudicio uel extra, aut alias quomodolibet obtenta, impetrata, uel concessa sunt, obtinebuntur, impetrabuntur, uel concedentur, etiam motu proprio, in genere uel in specie, quocunque nomine censeantur, reuocentur, cassentur, & annullentur, & omnia in pristinum statum reformentur, & restituantur, & pro infectis habeantur, ac si huiusmodi impetratio seu concessio, impetrationes seu concessiones nunquam emanassent, sed omnia & singula, durante dicta protestatione, per Ordinarios etiam quoscunque, uel eorum aut cuiuslibet eorundem acta, facta, & gesta per eosdem tempore protestationis praedictae bona fide calumpnientur, ne etiam, quod prouisum est ad concordiam, in noxam, lites, & iurgia conuertatur.

Item si quis, cuiuscunque status, conditionis, seu gradus fuerit, obtentis aut obtinendis, impetratis seu impetrandis, concessis uel concedendis huiusmodi quomodolibet usus fuerit, etiam protestatione, unione, & foedere dictorum Principum quorumcunque cessantibus, poenis in dicta protestatione contentis eo ipso subiaceat; quas siquidem poenas quisque Dioecesanorum in contra facientem seu contrafacientes strictissime exequatur: seuerius etiam processurus, si contemptus qualitas deposcit seu requirit.

Item teneatur quilibet Dioecesanorum, metropolitico iuri ecclesiae Maguntinae subiectorum, per totam suam dioecesim Presbyteris Missam celebraturis iniungere, ut interponant unam singularem Collectam, in qua diuinum inuocetur auxilium, ut matrem nostram, sanctam Dei ecclesiam uniuersalem, per pacis & tranquillitatis incrementa citius consoletur.

Item, teneatur quilibet Dominorum Suffraganeorum super praemissis firmiter & fideliter prosequendum Dominum nostrum Metropolitanum per patentem suam literam seu instrumentum publicum, sigillo cuiuslibet munitam, in oppido Franckenfurdensi in festo *Omnium Sanctorum* proxime accedente modis omnibus certificare.

Item, ut uniuersi & singuli Suffraganeorum subditi praemissis tenacius inhaereant & obediant, postquam per Dominos Suffraganeos acceptata & gratificata fuerint, ut praefertur, placuit, ut omnia & singula praemissa publicentur, & praedicentur, ne quis per ignorantiam se audeat a praemissis subtrahere aut excusare.

CONCILIVM XLVII

Anno MCCCCLI die dominica post festum *S. Martini*, praeside *Theoderico* Archiepiscopo Moguntino collectum, in quo totus fuit, ut prolapsos Cleri, populique mores corrigeret.

Statuta huius concilii confirmauit *Nicolaus* Presbyter Cardinalis ad uincula *S. Petri*, praesentia non duntaxat sua (*a*), sed etiam litteris, quae praefixae sunt statutis, quae impressa sunt cum concilio Moguntino anni MCCCX, ut supra monuimus. Habentur illa etiam lib. IV *Statutorum Moguntinorum* (*b*).

(*a*) Serarius *l. c. p.* 875 (p. 764 edit. nou.)

Speciatim, quae de controuersia Parochos inter & Fratres mendicantes in prouincia Moguntina super intellectu C. *omnis utriusque sexus* ac illius & Clement. *dudum obser-*

(*b*) Idem *l. c. p.* 142 (p. 105 edit. nou.)

uantia, in eo acta fuerunt ac constituta, nobis exponit sequens *Hermanni Pomert*, Tabellionis publici, Instrumentum.

In nomine Domini Amen. Anno a nativi-

tate eiusdem MCCCCLI, indictione XIV, die uero Veneris, III mensis Decembris, hora nona uel quasi ante meridiem, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Nicolai, *diuina prouidentia* Papae V, *anno quinto, in maiori ecclesia Moguntina, Reuerendissimo in Christo Patre & Domino, Domino* Nicolao titulo *S. Petri* ad uincula *SS. Romanae ecclesiae Presbytero Cardinale, Apostolicae Sedis per Alemanniam Legato, in prouinciali Synodo Moguntina ibidem solempniter congregata Apostolica auctoritate praesidente, ac Reuerendissimo Patre & Domino, Domino* Theoderico *Archiepiscopo Moguntino sibi confidente, uenerabilis & egregius Vir, Dominus* Hermannus Rosenberg, *Decretorum Doctor, dicti Reuerendissimi Patris & Domini, Domini* Theodecici *Archiepiscopi Moguntini Vicarius in spiritualibus generalis, nomine & pro parte dicti Reuerendissimi Patris, Domini Archiepiscopi, aliorumque Reuerendorum Patrum & Dominorum Episcoporum, eiusdem Domini Archiepiscopi Suffraganeorum, & huiusmodi prouincialis Synodi, atque totius Cleri prouinciae Moguntinae proposuit cum querela, quatenus inter Curatos parochialium ecclesiarum & Fratres mendicantium in dicta prouincia super intellectu* C. omnis utriusque sexus, *ac illius* & Clement. dudum obseruantia, *magnae & graues communiter essent differentiae, ex quibus plurima scandala in populo orirentur, & nisi de opportuno remedio prouideretur, maiora & grauiora exinde in populo scandala subsequi timerentur; & quia Patres in Synodo intellexissent, super publicatione* C. omnis utriusque sexus, *ac illius* & Clement. dudum praedictorum obseruantia, *quandam ordinationem per eundem Reuerendissimum Dominum Cardinalem Legatum in dioecesana Synodo Bambergensi, hoc anno etiam per ipsum Dominum Cardinalem Legatum celebrata, occasione differentiarum, quae inter Curatos & Fratres mendicantium oppidi Nurenbergensis praedictorum occasione succreuerant, quoad ciuitatem & dioecesin Bambergensem factam & promulgatam: quare eidem Reuerendissimo Patri & Domino, Domino Cardinali Legato, nomine quo supra, humiliter supplicauit, quatenus praemissis obuiare, ac praedictam ordinationem, quoad Curatos & Mendicantes in ipsa Bambergensi Synodo factam & promulgatam, etiam ad & per ciuitatem & totam prouinciam Moguntinam, cum & sub similibus in praenarrata ordinatione contentis poenis etiam obseruari, mandare & extendere dignaretur.*

Ex tunc praefatus Reuerendissimus Pater, Dominus Cardinalis Legatus & praesidens, de discordiis huiusmodi condolere se asserens, michi Notario publico infra scripto, quatenus certas ordinationum literas inter Curatos & Fratres Ordinum mendicantium alias in dioecesana Synodo Bambergensi per eundem Reuerendissimum Dominum Cardinalem Legatum auctoritate suae legationis factas & concessas, sigilloque suo impendenti sigillatas, ibidem publice coram Synodo legerem & insinuarem, iussit atque mandauit; quarum quidem litterarum tenor de uerbo ad uerbum sequitur, & est talis.

NICOLAVS miseratione diuina tit. *S. Petri ad uincula* SS. Romanae ecclesiae Presbyter Cardinalis, Apostolicae Sedis per Alemanniam Legatus, in dioecesana Bambergensi Synodo praesidens, uniuersis Christi fidelibus eiusdem dioecesis salutem in Domino sempiternam.

Quoniam officio nostro incumbit, ut undique ea, quae pacis sunt, diligenti studio promoueamus, maxime autem, quando ad id Apostolicae Sedis singularis iussio accedit; Sane ad Sanctissimum Dominum nostrum, Dominum *Nicolaum* Papam *V* de lite inter Plebanos & Mendicantes fratres oppidi Nurenbergensis dictae dioecesis non paruas fore differentias exortas, & nobis per eundem Sanctissimum Dominum nostrum commissum, ut easdem de medio facere curaremus, atque post hoc intellecto, in hac Bambergensi dioecesi in plerisque locis similes querelas esse, quodque scandala plurima in populo ob hoc oriantur, auditis in hac Synodo querelis super hoc & responsionibus, per hanc nostram ordinationem de synodali consensu deliberate factam, uti sequitur, prouidemus. Et quia iam dudum circa publicationem C. concilii generalis *omnis utriusque sexus* statututum synodale reperimus, dictum C. *omnis utriusque sexus* concilii generalis per omnes dominicas quadragesimae approb. auctoritate legationis nostrae, qua fungimur, decernimus, quod publicatio illa in dicto oppido Nurenberg per deputandos a Domino Episcopo Bambergensi, simpliciter prout textus iacet, tantum fiat; inhibentes insuper eadem auctoritate, ne quisquam cuiuscunque conditionis, ecclesiasticae uel saecularis intra limites dioecesis Bambergensis constitutus, exemptus uel non exemptus, quouis modo, directe uel indirecte, publice uel occulte, quenquam ab obseruantia illius iam dictae constitutionis, ac quod illi suo Sacerdoti, a quo Sacramentum Eucharistiae recipere tenetur, uel alteri de licentia eiusdem saltem semel in anno non confiteatur, aut interessendo diuinis, saltem diebus dominicis & maioribus festiuitatibus, in sua parochiali ecclesia, aut a solutione iurium parochialium retrahere praesumat: quinimo uolumus, ut quisquis talia fecerit, etiam cuiuscunque ordinis uel religionis, exemptus uel non exemptus, suspensionis ab ecclesiae ingressu, ac perceptionis Sacramenti Eucharistiae sententiam incurrat, absolutionem, praeterquam in mortis articulo, Apostolicae Sedi reseruantes. Et quia Fratres de ordine mendicantium, modo, quo in Clem. *dudum* ponitur, praesentati & per Episcopum admissi, in casibus ipsis per reseruationem Papae aut Episcopi non prohibitis, eis confitentes ueraciter absoluunt, pari poena inhibemus, ne quisquam, cuiuscunque conditionis fuerit, ecclesiasticae uel saecularis, exemptus uel non exemptus, potestati absoluendi eorundem

Fratrum

Fratrum admissorum detrahere directe uel indirecte, publice uel occulte, praesumat: quin imo uolumus, quod quisquis talia fecerit, suspensionis ab ingressu ecclesiae & perceptionis Sacramenti Eucharistiae sententiam incurrat, absolutionem, praeterquam in mortis articulo, Sedi reseruantes antedictae. Et ad finem, ut populus sciat, qui sint tales admissi, & qui casus prohibiti, statuimus, & dicta auctoritate nostrae legationis ordinamus, quod Dominus Episcopus Bambergensis omni anno in prima dominica quadragesimae deinceps per prouincialia loca totius suae dioecesis hanc nostram ordinationem & Fratres per eum admissos ad confessionem audiendam nominatim, ac casus Papae atque sibi reseruatos, & in quibus sibi reseruatis auctoritatem dedit absoluendi, publicationem populo faciendi disponere teneatur, prohibentes sub simili suspensionis latae sententiae poena, ne amplius quisquam ex Mendicantibus contra Plebanos, & Plebanorum quiscunque contra Fratres ipsos praedicare praesumat, sed qui causam querelae habuerit, iudicem adeat competentem.

Datum Bambergae in synodo dioecesana per nos ibidem in maiori ecclesia solempniter celebrata, anno Domini MCCCCLI, die Lunae, III Mensis Maii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini *Nicolai* diuina prouidentia Papae *V* anno quinto.

Quibus itaque ordinationum litteris per me de uerbo ad uerbum publice alta & intelligibili uoce, omnibus ibidem prouincialiter congregatis audientibus & intelligentibus, lectis & insinuatis, memoratus Reuerendissimus Dominus Cardinalis Legatus & praesidens scandalis & differentiis huiusmodi obuiare, illaque sedare & pacificare desiderans, ordinationem in praescriptis litteris continentem innouando, eam eum singulis suis clausulis, & sub poenis in eisdem contentis, ad & per ciuitatem, ad & per totam prouinciam Moguntinam praefatam, de ipsius prouincialis Synodi, & ob singularem petitionem Synodi eiusdem extendit, eamque districte obseruari uoluit, atque auctoritate legationis suae firmiter sub poenis in eisdem litteris contentis obseruari mandauit.

Super quibus omnibus & singulis uenerabilis uir, Magister Iohannes Huneman, *Promotor dictae prouincialis Synodi, tam eiusdem, quam dictorum Reuerendissimi, Reuerendorum Patrum & Dominorum, Archiepiscopi, Episcoporum ac Cleri nominibus, unum uel plura, publicum seu publica sibi fieri, confici, & tradi a me Notario publico subscripto petiit instrumentum & instrumenta.*

Acta fuerunt haec in maiori ecclesia Moguntinensi, prouinciali Synodo Moguntina ibidem congregata, sub anno, indictione, die, mense, hora, Pontificatu, quibus supra; praesentibus ibidem Reuerendo in Christo Patre, Domino Thoma, *in uniuersali ecclesia* Episcopo Dunckelensi *uolgariter nuncupato, nec non uenerabilibus & egregiis uiris, DD.* Rudolfo *de* Rudisheim *Decano, &* Iohanne Bachenstein, *Decretorum Doctoribus, Canonicis ecclesiae Wormatiensis, atque in sacra Theologia & in utroque Iure Doctoribus, ac Praelatis, & notabilibus Viris aliis in multitudine copiosa testibus ad hoc uocatis specialiter & rogatis.*

Et ego Hermannus Pomert, *Clericus Lubecensis dioecesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, praefatique Reuerendissimi in Christo Patris ac Domini, Domini* Nicolai *Cardinalis* S. Petri ad uincula, *Apostolicae Sedis per Alemanniam tunc Legati, Secretarius, quia praescriptae querelae in prouinciali Synodo, quo supra nomine, propositioni, ac dicti Reuerendissimi Domini Cardinalis Legati responsioni, ordinationique praeinsertarum litterarum, super publicatione* C. omnis utriusque sexus, *atque illius,* & Clem. dudum obseruantia *contentae innouationi & eiusdem ordinationi, quoad ciuitatem & totam prouinciam Moguntinam, cum Synodali consensu & extensione & mandato, omnibusque aliis & singulis praemissis, dum, sicut praemittitur, fierent & agerentur, in ipsa Synodo, una cum praenominatis testibus interfui, & etiam praeinsertam litteram ibidem publice legi, ac cuncta etiam alia sic fieri uidi & audiui, ideoque praesens publicum instrumentum per alium, me aliis occupato negotiis, fideliter scriptum, exinde in notam recepi atque confeci, subscripsi & publicaui, signoque & nomine meo solitis & consuetis, de praefati Reuerendissimi Domini Cardinalis Legati mandato & consensu signaui, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum eorundem.*

CONCILIVM * XLVIII

Anno MCCCCLXXXVII habitum ab Archiepiscopo Bertholdo. *Cuius quidem notitiam nobis sequentes dant litterae:*

Wir BERTOLD --- bekennen --- als die Erwurdigen in Gott Vättere, die Bischoffe Suffraganien vnser provinz, ire Bottschafft bei vns versamlet gehat haben, vnd von viel zeitten irrung sich gehalten han zuschen dem Stifft *Wurzburg* vnd *Eystett*, ire session antreffend, ist dismals gutlich mit den Eystettischen geredt, vnd sie gebeten, gerichts gegen vns über vnd in der nehe zu sitzen; das haben sie dismals also vmb irrung zu vermeyden gethan, vnd doch auch protestirt, das sie damit vnserm *Frund* von *Eystett* vnd dem Stifft nichts begeben, sunder seine gerechtigkeit vorbehalten wollen, vnd begert, inen des vnsern versiegelten brieff übergeben zu lassen.

Des

Des zu vrkunde haben wir inen dieſen brieff vnter vnſerm ingeſiegel übergeben, vff Fritag nach vnſer *Frauwen* tag *Aſſumptionis*, anno 1487.

CONCILIVM XLIX

Anno MCCCCXCIX, praeſide *Bertholdo*, Archiepiſcopo Moguntino, conuocatum; in quo *Greſemundus*, cum gentium omnium ſententia & exemplo, ſacerdotalis ordinis dignitatem explicuiſſet, grauiter hortatus eſt Patres, omnesque praeſentes, ut poenitentiam agerent ſeriam *.

* Serarius *ibid. p.* 879 *& ſeq.* (p. 809 edit. nou.)

CONCILIVM L

Anno MDXLVIII, XIX Nouembris, praeſide *Sebaſtiano* Archiepiſcopo Moguntino, cum omni Clero inchoatum, & XXIV Nouembris finitum. Occaſionem illi dedit formula reformationis in comitiis Auguſtanis a Caeſarea Maieſtate eccleſiaſticis Statibus propoſita.

Decreta in eo edita ſunt XX, quae eodem ſtatim anno typis exſcripta †, cum indictione huius Synodi dioeceſanae.

† In forma ordinis maioris, hoc quidem titulo: *Acta & Decreta Synodi dioeceſanae Moguntinae, praeſidente Reuerendiſſimo in Chriſto Patre & Ampliſſimo Principe, Domino, Domino* Sebaſtiano, *Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. per Germaniam Archicancellario & Principe Electore etc. celebratae XIX die Nouembr. anno MDXLVIII. Moguntiae excudebat* Iuo Schoeffer 1548. In calce, quod addo, legas haec: *Actum & concluſum Moguntiae apud eccleſiam metropolitanam in ampliſſimo Synodi conſeſſu, & mox in eiusdem eccleſiae choro publicatum, nulla interim myſticorum ſacrorum & caerimoniarum, more atque inſtituto maiorum conſueta ſolennitate praetermiſſa, anno Domini MDXLVIII, die XXIV Nouembris.*

CONCILIVM LI

Anno MDXLIX die VI Maii *, praeſide eodem *Sebaſtiano*, poſt praecedens dioeceſanum, hoc prouinciale habitum.

In eo putauit, malis praeſentibus amplioris conſilii remedia eſſe quaerenda. Hinc condita ſunt Capitula CIV; quorum priora XLVII ad doctrinam fidei, & poſteriora LVII ad mores pertinent.

* Coepit utique, ut auctor bene notauit, Concilium hoc VI die Maii, initio hora VI matutina a ſacris in aede ſumma facto. Sacrum Miſſae officium feſto carmine decantabat Reuerendiſſimus Suffraganeus Moguntinenſis, *Michael Helding*, Epiſcopus Sidonienſis. Quo finito *Sebaſtianus* Archiepiſcopus, pontificalibus indutus, baculumque paſtoralem manu gerens, cum Synodi membris, magna Cleri populique multitudine ſequente, e choro in aulam, ut uocatur, Capitularem ſeſe conferebat.

Adfuere autem illi Reuerendiſſimus ac Celſiſſimus Princeps, *Mauricius*, Epiſcopus Eichſtadtenſis, prouinciae Moguntinae, ſacraeque Synodi Archicancellarius; tum uero *Henrici* Wormatienſis, *Melchioris* Herbipolenſis, *Philippi* Spirenſis, *Eraſmi* Argentoratenſis, *Chriſtophori* Conſtantienſis, *Othonis* Auguſtani, & *Remberti* Paderbornienſis Epiſcoporum, omnium ſanctae Sedis Moguntinae Suffraganeorum, *Collegii* denique *Cathedralis Eichſtadtenſis* Oratores ac Nuntii. Wormatienſis quidem, *Daniel Mauch*, I. V. D. ac cathedralis Vormatienſis Canonicus & Scholaſticus, *Georgius Nigri*, SS. Theologiae D. & *Gerhardus Lorichius* Hadamarius; Herbipolenſis, *Georgius Flachius*, Epiſcopus Soloniensis, eiusdemque Suffraganeus, & *Ioannes Armbruſter*, SS. Theologiae Licent. eccleſiae *S. Ioannis* extra moenia Wirzburgenſia Canonicus; Spirenſis, *Georgius Moſpach*, Iur. Licent. eiusdem in ſpiritualibus Vicarius, nec non Spirae Decanus ad *SS. Mauricium* & *Germanum*, & *Georgius Bock*, I. V. D. Curiae Epiſcopalis Spirenſis Iudex, & ad *SS. Mauricium & Germanum* Spirae Canonicus; Argentoratenſis, *Georgius* de *VVeickersheim*, Praepoſitus in Sulz; Conſtantienſis, *Ioannes Dompardus*, I. V. D. Vicarius generalis Conſtantienſis; Auguſtani, *Iacobus Henrichmann*, I. V. D. Canonicus cathedralis Auguſtanae; Paderbornenſis, *Liborius Schmitt*, Decanus *SS. Petri & Andreae* in *Buſtorff*; Capituli Eichſtadtenſis, *Ioannes Georgius* a *Leonrod*, Decanus, *Fridericus* de *VVirſperg*, *Daniel Stibarus*, *Vlricus Hoelin*, Canonici Eichſtadtenſes.

Valentinus Hildeſienſis, nobiliſſima *Tettelebiorum* in Thuringia ſtirpe ortus, & tum Moguntiae exſul, litteris ipſo *D. Georgii* feſto, qui dies XXIII Aprilis in faſtis eſt, ſcriptis, cur non compareat, expoſuit. Retulit autem, ut id addam, aduerſa ualetudine, corporisque imbecillitate ita ſe eſſe affectum, ut tametſi libens uelit, ſynodo intereſſe haud poſſit; tum uero uix unum in uniuerſa ſua

dioeceſi

dioeceſi habere, qui usque adeo non ſit exinanitus & paupertate preſſus, ut impenſis in iter faciendis impar ſit; quin nec unicum quidem ſeſe nunc ſecum habere, Ordinis eccleſiaſtici uirum, rerum prudentia grauem, doctrinaque praeſtantem, quo uel procuratore, uel internuntio tantum uti queat. R. P. *Balthaſarem*, praecipuum ac primarium, quem habuerit Theologum, ac a pluribus annis pro neceſſitate eccleſiae Hildesheimenſis ſibi fratrem & collegam grauiſſimis ſumtibus delegerit, ingenti cura & labore ad ſe pertraxerit, & non paucos annos ſuis aegre impenſis aluerit, uel inuitum nuper amiſiſſe, reſtituendae academiae Ingolſtadienſis cauſſa a Bauaris abſtractum. Sperabat igitur, his de cauſſis ſeſe habitum iri excuſatum.

Auſpicio ſeſſionis a cantico, *Veni Sancte Spiritus*, religioſe facto, uenerabilis & eruditus maxime Vir, *Georgius Neander*, elegantem, piamque ad PP. habuit orationem, eosdem, omnemque Clerum ad ſtudium religionis, omnemque uitae ac dignitatis eccleſiaſticae conſeruandae rationem adhortatus.

Qua recitata, Eminentiſſimus concilii Praeſes & Metropolitanus *Sebaſtianus* Archiepiſcopus, una cum Eichſtadtenſi, ceterorumque Nuntiis, in conclaue, ut appellatur, Capitulare maius, idque hiemale ſeceſſit, & poſtquam cum Eichſtadtenſi conſediſſet, tres Synodi conſtituit Notarios.

Tum cauſſas concilii Reuerendiſſimus Epiſcopus Sidonius, *Michael Helding*, qua potuit diligentia atque accuratione explicuit ac enarrauit: *Mauricius* uero, Antiſtes Eichſtadtenſis, propoſitiones quasdam, de quibus conſultandum, ſcripto comprehenſas, *Sebaſtiani* iuſſu, omnium in praeſentia ſonora praelegit uoce.

Praelectis iis, *Sebaſtianus* ipſe abſentium Epiſcoporum Nuntiis ac Oratoribus plenam proponendi conceſſit facultatem. Qua conceſſa, *Georgius Flachius*, Epiſcopus Solonienſis & Suffraganeus Herbipolenſis, propoſuit, conſeſſus ordinem ſeruandum eſſe; & cum primus a latere dextro locus Wirzburgenſi, Hero ſuo, debeatur, petiit illum ſibi adſignari. Quum uero *Daniel Mauch*, I. V. D. Vormatienſis Epiſcopi Orator, Hero ſuo illum deberi contenderet, diceretque, Vormatienſem eccleſiam antiquiorem eſſe Herbipolenſi, deciſum fuit, utrique uiciſſim capiendum; prima uero uice Herbipolenſi.

Die Mercurii, qui fuit VIII Maii, ſecunda ſeſſio fuit habita; in qua, controuerſia Auguſtanum Oratorem inter & Paderbornenſem de προεδρίᾳ eodem, quo ſuperior, modo compoſita, deliberatio inſtituta fuit de modo tractandi. Viſum autem, deligendos eſſe uiros aliquot, pietate, doctrina, & prudentia praeſtantes; quorum e numero quidam diſpiciant, qua ratione ſana, ſinceraque, atque adeo concors etiam & conueniens fidei catholicae doctrina tradi debeat, ac retineri poſſit; quidam uero curas ſuas ad morum emendationem, & ad eccleſiarum diſciplinam conſtituendam conferant.

Delecti uero ad res religionis iuxta atque doctrinam diſcutiendam *Georgius Flachius*, *Ioannes Armbruſter*, *Georgius Nigri*, *Gerhardus Lorichius* Hadamarius, & *Georgius Moſpach*, omnes & ſinguli, ut dictum, ad ſacram hanc ſynodum miſſi Nuntii atque Oratores. Quibus Praeſes Eminentiſſimus *Sebaſtianus* adiunxit *Michaelem Sidonium*, Suffraganeum ſuum, & *Georgium Iſing*, Moguntiae Decanum ad *D. Ioannis*; Eichſtadtenſis uero, concilii Archicancellarius, *Ioannem Cochlaeum*, Doctorem Theologum.

Ad negotium uero de diſciplina conſtituenda, moribusque emendandis, *Fridericus* de *VVirſperg*, *Daniel Mauch*, *Georgius Bock*, *Ioannes Dompardus*, *Iacobus Henrichmann*, *Georgius de VVeickersheim*, & *Liborius Schmitt*, omnes itidem Nuntii ad concilium miſſi. Quibus Archiepiſcopus *Sebaſtianus* adiunxit *Adamum Kuchenmeiſter* a *Gamberg*, Decanum aedis maioris Moguntinenſis, & *Ioannem Selbach*, Iurium Licentiatum, Decanum ad *D. Petri* & Protonotarium Moguntinum; Eichſtadtenſis *VVilibaldum Franckmann*, I. V. D. Praepoſitum noui Collegii *B. M. V.* Eichſtadtii, & in eccleſiaſticis Vicarium generalem.

Omnibus uero ac ſingulis negotium datum, cauſſas ſibi commiſſas diligenter diſcutiendi, grauamina ſiue querelas curate audiendi, examinandique, ac tandem, poſt deliberationes de iis omnibus habitas, deciſiones factas concilii Archicancellario duplis exemplis exhibendi, ut quid iuris aequitatisue ſit, ſtatui queat.

Simul autem permiſſum, ſi qua occurrerent dubia, uel quae orirentur difficultates, quas ſoli forte diſceptare ac ſuperare nequirent, ut in conſilium adhiberent uiros aliquot tam Theologiae, quam Canonum peritia inſignes, uenerabiles uidelicet & undiquaque doctos uiros, *Ioannem VVild*, Guardianum ad Minoritas, *Conradum Nicroſium*, ex Ordine Dominicanorum, & *Petrum Adel*, Theologiae DD.

Die XI Maii appulere Nuntii *Antiſtitis Halberſtadenſis*; qui fuere *Ioannes Alberti*, Prouincialis Ordinis *D. Dominici* prouinciae Saxonicae, & *Theodericus* de *Rheden*, Scholaſticus Collegii, quod ad *B. M. V.* uulgo *ad gradus*, intra, & Canonicus ad *D. Victoris*, quod extra moenia Moguntina eſt.

Capitibus tandem, de quibus deliberationes inſtitutae erant, debita cura pertractatis, delecti *Fridericus* a *VVirſperg*, *Daniel Mauch*, *Georgius Moſpach*, ac *Georgius* de *VVeickersheim*, qui ſingula atque omnia reuiderent, & ſi quid eſſet, quod limam deſideraret, id ipſum, ſubſtantia tamen minime mutata, corrigerent.

Quod cum illi peregiſſent, die XXIII Maii Archiepiſcopo *Sebaſtiano*, Antiſtiteque *Mauricio*, tum & Epiſcoporum abſentium Oratoribus in unum congregatis ac praeſentibus, Reuerendiſſimus *Michael* graui omnes oratione hortatus eſt, uelint Statuta confecta, in debitumque ordinem redacta, rata habere atque approbare; grauamina uero ſiue quere-

las, quibus Synodus hoc tempore mederi nequiuerit, uel ad futura comitia, uel concilium uniuerſale reiicere.

Quod & factum. Rogaruntque Legati, ut *Sebaſtianus* & *Mauricius* ſuo, omniumque nomine, Statutis hiſce ſubſcribere, ac maioris roboris, auctoritatisque ergo ſigilla ſua appendere uelint. Quod ſimiliter factum.

Tandem communi ſtatutum fuit conſilio, die ſequenti Statura haec, poſt ſacrum gratiarum actionis officium decantatum, in aedis maioris choro publice praelegenda eſſe, atque promulganda.

Adueniente itaque die hoc, qui Veneris erat, & Maii XXIV, mane hora V, cum *Sebaſtianus*, pontificalibus indutus, *Mauricius* Eichſtadtenſis, ceterorumque Nuntii ac Oratores ſedes conſuetas in choro baſilicae *D. Martini* occupaſſent, poſt decantatam ſollemniter pro gratiarum actione *de SS. Trinitate* Miſſam, in praeſentia multorum Praelatorum, Clericorum, & plebeiorum, omnia haec & ſingula Statuta prouincialia per *Valentinum Dörrhe*, Clericum dioeceſis Treuirenſis, Notarium ſiue Tabellionem publicum, & *Philippum Agricolam*, Artium liberalium Magiſtrum, alternis uicibus, alta atque intelligibili uoce legi & publicari mandarunt atque fecerunt. Quibus lectis diſceſſum.

Et hoc concilium ſtatim impreſſum fuit (*a*). In meo uolumine praemiſſa eſt *S. Caeſareae Maieſtatis Declaratio* (*b*), ſiue liber *Interim* uocatus, utpote qui his conciliis occaſionem dedit. Huic ſubiiciuntur *Conſtitutiones concilii huius prouincialis*; quibus acceſſit *Inſtitutio ad pietatem chriſtianam, ſecundum doctrinam catholicam*, complectens *explicationem Symboli Apoſtolici*, *Orationis Dominicae*, *Angelicae ſalutationis*, *Decalogi*, *& ſeptem Sacramentorum.* Sequuntur, in meo quidem codice, *Statuta Conſiſtorialia iudiciorum ſpiritualium ciuitatis & dioeceſis Moguntinae*, recens reformata & in iuſtum ordinem redacta (*c*).

(*a*) *Moguntiae anno MDXLIX. f.* Concilior. *tom. XIV p. 667 & ſeqq.* Cabaſſut. *l. c. p. 593 & ſeq.* Natalis Alexander *ſaec. XVI p. 214.*

Inſertum etiam Collectionibus *Crabbei* tom. III p. 927 & ſeq. *Surii* tom. IV p. 856 & ſeqq. *Binii*, edit. *Colon.* an. MDCVI tom. IV p. 768 & ſeq. edit. *Pariſienſ.* an. MDCXXXVI tom. IX p. 313 & ſeqq. *Regia*, tom. XXXV p. 275 & ſeq. *Lyſerus* l. d. § XLII p. 38.

(*b*) *Moguntiae, eodem anno.* (*c*) *Ibidem, eodem anno.*

FINIS.

IOAN-